
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

DE HERODOTI RATIONE HISTORICA

QUAESTIONES SELECTAE SIVE
DE PUGNA SALAMINIA ATQUE PLATAEENSI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA

BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE

CAPESSENDOS

DIE IV. M. OCTOBR. A. MDCCCLXXXX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RUDOLPHUS ADAM

MARCHICUS.


ADVERSARII ERUNT:

DR. PHIL. R. ZIMMERMANN.
CAND. PHIL. E. FOLGMANN.
STUD. PHIL. P. GENSEL.



BEROLINI, 1890.

HEINRICH & KEMKE.


HARVARD COLLEGE
AUG 19 1910
LIBRARY.

ADOLPHO KIRCHHOFFIO.

JOHANNI VAHLENO.

S.

Nobilissimum opus Herodoti quomodo natum esset, a multis nostra aetate quaesitum est. Sed cum inter omnes fere constet, quo tempore in ultimam formam sit redactum, ceterae eiusmodi quaestiones minus feliciter tractatae sunt, neque equidem crediderim fore ut unquam in summa testimoniorum inopia inveniantur, quae vel modicis desideriis satisfaciant. Quam ob rem non possum non mirari quod iterum atque iterum viri docti de itineribus atque recitationibus Herodoti disseruerunt, alias quaestiones neglexerunt, e quibus maior certe fructus ad indolem scriptoris perspiciendam capi potest. Nam qua ratione Herodotus fabulis undique congestis usus sit, quasque leges sibi in componendis historiis scripserit, primus quoad scio diuque postremus Nitzschius quaesivit; qui quamquam breviter tantum atque summatim eam materiam tractavit, tamen multa et speciosa invenit atque dignus fuit, qui aliorum studia incitaret. Novum sane atque a consuetudine nostra alienum erat, quod ille cognovit: Herodotum ubi plures auctores praesto fuissent, unius maxime auctoritatem sequi esse solitum: in proeliis ad Thermopylas atque Mycalen describendis narrationes Lacedaemoniorum redditas esse, ubi pugna Plataeensis enarratur, initio Atheniensibus deinde Spartanis auctoribus scriptorem sese commisisse. (Nitzsch, über Herodots Quellen für die Geschichte der Perserkriege. Rh. Mus. 1872, 226 ff.) Quae scientia nuperrime a Dielsio nostro adaucta est, qui collatis fragmentis Hecataei Milesii demonstrat: Herodotum nonnulla ex illo exscripsisse, cum aut omnino de auctoris nomine taceret, aut ab Aegyptiis (Hecataei auctoribus) narrata esse traderet,

quae per illum compererat. (Diels, Herodot und Hekatäus, Hermes 1887, 411 ff.).

Jam si ea tantum contemplamur, quae Herodotus ipse de scribendi ratione atque de officiis scriptoris in medium protulit, non alia mente alioque consilio de fabulis, quam de ceteris rebus memorabilibus rettulisse videatur: non quia verae essent, sed quia ab hominibus narrari solerent, ei dignae erant memoratu: ubi plures narrationes de una eademque re audivit, aequa fide omnes memoriae tradidit. Interdum etiam veritatem earum perpendit veritus magis, ne in suspicionem credulitatis incidat, quam ut eruat, quid vere factum sit. Notissimi sunt illi loci, quibus hanc sententiam pronuntiat. l. 2. 123. τοῖσι μέν νυν ὑπ' Αἰγυπτίων λεγομένοισι χράσθω ὅτεῳ τὰ τοιαῦτα πιθανά ἐστι· ἐμοὶ δὲ παρὰ πάντα τὸν λόγον ὑποκέεται ὅτι τὰ λεγόμενα ὑπ' ἑκάστων ἀκοῇ γράφω. cf. 7. 152: 4. 195. Sed quamquam dubium non est, quin in prioribus libris eam rationem secutus sit, tamen fieri non poterat, ut ad eandem normam libri posteriores dirigerentur, qui cum multis aliis tum eo ab illis differunt, quod admodum raro scriptor, quid cuique auctorum debuerit, profitetur. Nam cum res bellis Persicis gestae omnibus Graecis communes fuerint atque omnes sine dubio commemorare soliti sint, quid tum gloriosi fecerint, Herodoto sane non tam in eo elaborandum fuit, ut haec omnia passim litteris mandaret, quam in eo, ut quae memoratu dignissima essent, eligeret et in unum quasi corpus componeret. Ac profecto qualem aequabilitatis atque veritatis speciem assecutus sit, in eo cernitur, quod qui nostra aetate res bello Persico gestas narrare sibi sumpserunt, non ita multum ab Herodoto recedere ausi sunt. Longe autem eam normam excessit, ad quam se artem suam direxisse ipse professus est. Quam ob rem non supervacuum erit indagare, quas leges in hac parte vere sit secutus; omissis ceteris historiae ipsae nobis considerandae erunt.

Primum autem statuendum atque certis finibus circumscribendum erit, quid a quoque auctore profectum sit. Quod

primo fortasse obtutu audacius videbitur, cum testimoniorum subsidiis plane careamus; tamen haud scio an in commodum convertere possimus, quod incepto nostro obstare videtur. Nam cum ante Herodotum eas res litteris mandatas non fuisse constet earumque historiarum, quae in sermonibus hominum versantur, proprium sit ut in vim atque naturam poematum prope immutentur et quantum a veritate recedant, tantum aequabilitate, concinnitate, simplicitate exornentur: vix a vero aberrabimus, si quidquid disconveniet atque discordabit ad diversos auctores referemus. Atque narrationes quidem Herodoteas poetarum fabulis propiores esse quam veritati primus Niebuhr contendit, deinde Wecklein magna exemplorum copia illustravit. (Niebuhr, Vorträge über alte Geschichte 1. 386. Wecklein, über die Tradition der Perserkriege, bayr. Akad. d. Wiss. 1876). Restituta autem prima fabularum forma statim apparebit, qualis ratio atque consuetudo scriptoris fuerit. Sed cum non huius opusculi sit, universas historias Herodoti in examen vocare, nonnullas elegi particulas, in quas ratione modo constituta inquirerem, cum non solum maxime ad indolem scriptoris cognoscendam accommodatae viderentur, sed ita etiam comparatae essent, ut si quid certi investigare contingeret, non tantum philologis gratum facere possemus, sed etiam proferre, quae vel historicis utilia essent.

De conciliis ducum ante pugnam Salaminiam habitis.

In quaestione prima diutius commorari placet, quam ad propositum nostrum peragendum necessarium videatur. Labefactandae sunt opiniones eorum, qui in renarrandis bellis Persicis nimis arte se ad auctoritatem Herodoti applicant; vix autem ullo exemplo melius apparebit, quantopere paucis post res gestas annis, viventibus etiamtum Themistoclis atque Miltiadis sodalibus memoria rerum aut evanuerit aut depravata sit et quam caute sint suscipienda, quae ille, uti diximus, non

quia pro veris habuit sed quia ei narrata sunt, memoriae prodidit.

De consilio Mnesiphili. Initium ea pars quam tractaturi sumus, a cap. 49 capit ubi refertur Eurybiadem, cum omnes duces sociorum in concilium convenissent, sententiam rogasse, quonam loco ex iis, quae ad id tempus possiderent, proelium navale facere commodissimum esset. Atque iis certe, quibus de ea re iudicium erat faciendum, duae res respiciendae fuerunt: primum enim curare debebant, ut eum locum ad proeliandum eligerent, cuius natura ipsi vel maxime adiuvarentur, adversariis contra summa detrimenta inferrentur; deinde commodis atque saluti uniuscuiusque ipsorum consulendum erat, ne temere atque inutiliter plus agrorum atque oppidorum hostibus vastanda traderent, quam necessitas cogeret. Sèd apud Herodotum breviter modo atque summatim quae in concilio acta sunt commemorantur: unum id refertur maiorem partem sociorum Peloponnesios suasisse, ut ad Isthmum castra ponerentur atque acie confligeretur: nam si prope Isthmum caede afficerentur, extemplo sibi ad copias pedestres ibi locatas refugere licere. Sin autem apud Salamina res improspere gererentur, nullam sibi spem salutis restare: futurum esse, ut in insula includerentur atque obsiderentur, quo nemo suorum auxilium ferre posset. — Verumtamen sub eo, quod Salamis insula Isthmo opponitur, necessario est subaudiendum, fuisse qui pro ea quoque regione sententiam dicerent; qui quam ob causam adversati fuerint tamen non comperimus. Videntur denique illi quoque probavisse, quod Peloponnesii argumenti loco posuerunt atque in eandem sententiam ducti esse; ab Herodoto certe nusquam commemoratum est eos fortius restitisse aut quidquam ad refellendos Peloponnesios protulisse. Solum hoc refertur ab universis decretum esse, quod maior pars suasisset. Quibus perpensis ad ea tractanda transgredi possumus, quae apud Herodotum insequuntur et difficillima sunt explicatu.

Ibi Themistoclem e concilio redeuntem et nuntiantem

ducibus placuisse, ut navibus ad Isthmum ductis pro Peloponneso dimicaretur, Mnesiphilus Atheniensis his verbis excipit: οὔτ᾽ ἄρα ἢν ἀπαείρωσι τὰς νέας ἀπὸ Σαλαμῖνος, οὐδὲ περὶ οὐδεμιῆς πατρίδος ναυμαχήσεις (κατὰ γὰρ πόλις ἕκαστοι τρέψονται καὶ οὔτε σφέας Εὐρυβιάδης κατέχειν δυνήσεται οὔτε τις ἀνθρώπων ἄλλος ὥστε μὴ οὐ διασκεδασθῆναι τὴν στρατιὴν) ἀπολέεταί τε ἡ Ἑλλὰς ἀβουλίῃσι. Quam sententiam latine in hunc modum reddere poterimus: Nusquam igitur, si quidem Salamine naves abduxerint, navali proelio decertabitur Graeciaeque interitus est paratus. Nam ubi primum hinc abierint, nemo prohibere poterit, quin in suam quisque urbem confugiat et omnis exercitus navalis dissolvatur. Mnesiphilus his verbis operam dat ut demonstret illos consilium perniciosissimum cepisse; nam cum exspectandum esset fore ut dissipato exercitu nemo superesset, qui classi hostium resisteret, universam Graeciam misere perituram esse. — Simul illud indicat sua quidem sententia salutem Graeciae in navalibus copiis esse positam; quam sententiam ipse Herodotus amplexus est, qui pulcherrimo illo atque laudatissimo loco pronuntiavit, civitatem Atheniensium, cum navales copias praebuisset, maxime de communi libertate meritam esse. 7. 139: εἰ Ἀθηναῖοι καταρρωδήσαντες τὸν ἐπίοντα κίνδυνον ἐξέλιπον τὴν σφετέρην . . . κατὰ τὴν θάλασσαν οὐδαμοὶ ἂν ἐπειρέοντο ἀντιεύμενοι βασιλέι· εἰ τοίνυν κατὰ τὴν θάλασσαν οὐδεὶς ἠντιοῦτο Ξέρξῃ . . . προδοθέντες ἂν Λακεδαιμόνιοι ὑπὸ τῶν συμμάχων οὐκ ἑκόντων ἀλλ᾽ ὑπ᾽ ἀνάγκης, κατὰ πόλις ἁλισκομένων ὑπὸ τοῦ ναυτικοῦ στρατοῦ τοῦ βαρβάρου, ἐμουνώθησαν, μουνωθέντες δὲ ἂν καὶ ἀποδεξάμενοι ἔργα μεγάλα ἀπέθανον γενναίως. Deinde in iis quae Mnesiphilus respondet, nescio an hoc quoque subintellegi possit, non adeo se prohibiturum fuisse ne Salamis relinqueretur, si modo ulla alia ratione fieri potuisset, ut proelium navale committeretur.

Sed cum haec quidem quid sibi velint apparere videatur, plane obscurum est, qua de causa et quo iure Mnesiphilus contendat fore ut omnes in oppida sua discederent, si Salamine abiissent. Nam merito fortasse illis temporibus timeri poterat, ne non Athenienses,

Megarenses, Aeginetae exercitum desererent, ubi ceteri ad Isthmum proficiscerentur. Quid enim hos commovere debebat, ut templis ipsorum, aedificiis, agris superbiae hostium proiectis atque proditis pro alienis possessionibus pericula subirent? Si ipsi sese Persis subiecissent atque dedidissent, sperare poterant fore ut se suaque sospites atque incolumes manerent. Sed illud quod non sine causa timendum erat, a sententia Mnesiphili abhorret. — Primum enim tantum abest, ut Athenienses quoque ea vituperatione reprehendantur, ut soli e numero nocentium eximantur. (οὔτε σφέας Εὐρυβιάδης κατέχειν δυνήσεται et paullo infra c 60 παρεόντων γάρ τῶν συμμάχων οὐκ ἔφερέ οἱ κόσμον, οὐδένα κατηγορέειν: quae dici non possunt nisi de eo, qui culpa ipse vacat.) Deinde quomodo haec de Peloponnesiis contendi potuerint, qui et ipsi in numerum infidorum referuntur (ἕκαστοι) non video. Nam nisi eorum vel maxime interfuisset, ut navali proelio decertaretur, et si credidissent se muro Isthmiaco satis munitos fore atque defensos, iam pridem eos destituere potuerunt, qui ante Peloponnesum habitabant.

Sententiae Mnesiphili historici nostri varia ratione subvenire studuerunt. Sunt enim qui existiment Mnesiphilum propterea arbitratum esse Peloponnesios in oppida sua diffugituros esse, quod si ad Isthmum castris positis hostes advenissent, periculum esset, ne in oppida sua ad oram maritimam sita incursiones facerent, cf. Grote 3. 464. Sed ad hanc quidem rem nihil opinior intererat, utrum ad Salamina an ad Isthmum castra haberent: ceterum e libr. 7 cap. 235 disci potest, quibus dubitationibus Persae prohibiti videantur, quominus illud, quod etiam Demaratus suaserat, molirentur. Consideratius verba Mnesiphili a Dunckero explicata sunt p. 271: nur indem man hier ausharrte, zeigte man den Mut, welcher die Perser abzuhalten vermochte, ihre Flotte zu teilen und im Rücken des Isthmus zu landen. At unde apparebat Graecos ignavia adductos fuisse, ut ad Isthmum se reciperent? Nonne eodem iure iis ignominiae verti poterat, quod ab Arte-

misio abierunt? Rectissime de hoc loco Curtius indicavit, qui verba tradita ut prava reiecit atque alia pro iis substituit p. 72: **Die Aegineten und Megarer würden ebensowen'g wie die Athener sich hinter Salamis zurückziehen.** Nam Grotium atque Danckerum ne mentem quidem scriptoris assecutos esse neque verba ipsa quid valeant perspexisse ex eo loco apparet, quo Herodotus ad orationem Mnesiphili respicit et apertius dicit, quid illo loco expressum sit c. 60: ὡς ἐπεὰν (= ἐπειδὰν) ἀπαείρωσι ἀπὸ Σαλαμῖνος διαδρήσονται, quod significat eos diffugituros esse, ubi primum naves solvissent. Iam cognoscitur multo magis perversa atque inepta ea esse, quae Mnesiphilus Themistocli aperuisse narratur. Nam equidem fingere non possum, quomodo illud Themistocli ignotum fuerit, deinde Eurybiadi, aliis qui putaverant fore ut apud Isthmum manus consererentur: Mnesiphilo soli exploratum atque perspectum. Sed latius etiam ineptiae eius patent, qui hanc fabulam ad Herodotum attulit; quippe qui nobis persuadere studet, Themistoclem, quae ex amico audivisset, statim intellexisse ac ne causam quidem desideravisse, cur hoc tam confidenter affirmaret. Quamquam antea illi in mentem non venisse narratur fieri posse, ut exercitus discederet.

Quae cum ita sint, mea quidem opinione non licet quaerere, qua de causa auctor Herodoti omnes socios incusaverit, quidve illi obversatum fuerit: sed perscrutandum potius est, unde illae, quas castigamus, ineptiae nasci potuerint. Ac si recte quid sentio, auctor fabulae eorum recordatus est, quae sine dubio maxime in Themistocle laudari solebant: nisi effecisset ut Eurybiades Peloponnesios apud Salamina contineret, futurum fuisse ut omnis exercitus navalis dissolveretur (primum scilicet Athenienses, Megarenses, Aeginetae deinde ceteri, quia ab illis deserti adversariis pares non fuissent). Atque haec quidem, quae per se vituperari nequeunt, stultissime corrupit, cum fingeret ea in colloquio inter Mnesiphilum atque Themistoclem habito dicta fuisse, ubi locum habere non possunt. Sed haec hactenus.

Quamquam fortasse de argumento atque sententia illius loci ambigi potest, tamen dubium non est, qua mente aut quo consilio fabula de Mnesiphilo narrata sit. Nam qui merum habitum atque tenorem sermonis considerat, existimare debet Themistoclem antequam colloquium fieret ignorasse, quam perniciosum esset decreto parere et stationem relinquere. Unum enim hoc Mnesiphilus ostendit, cum persuadet Themistocli necesse esse, ut statim decretum dissolveatur; et Themistocles nullo responso dato (οὐδὲν πρὸς ταῦτα ἀμειψάμενος), tanquam divinitus ei lumen sit accensum, statim adhortationem probat et consilio paret. Quocum congruit, quod de Themistocle nulla mentio fit, ubi quae priore conventu acta fuerint referuntur; quamquam auctor ille Herodoti si credidisset illum iam tum cognovisse, quod ex amico audivit, et Peloponnesiis pro viribus restitisse, vel tenore et progressu sermonis coactus esset, ut narraret quid Themistocles contra sententiam adversariorum protulisset. Sane iis, qui nostra aetate ducem Atheniensem non meliora edoctum sed erectum atque confirmatum ab amico esse statuunt, confitendum est, se auctoritate Herodoti non defendi; nam quod illi inserunt: ἀλλ' εἴ τις ἔστι μηχανὴ (καὶ νῦν) ἴθι καὶ πειρέο διαχέαι τὰ βεβουλευμένα, non fortuito a scriptore praetermissum esse vidimus. Quod si verum est, sequitur ut auctor fabulae non Themistocli laudi tribuendum esse censuerit, quod apud Salamina prosperere pugnatum est, sed Mnesiphilo, a quo saluberrimum illud consilium inventum esset. Ea quam proposui explicatio tam simplex est et facilis, ut proxime se legentibus offerre debeat. Iam Plutarchus quo fabula tenderet recte intellexit. de malignit. Her. c. 37 Θεμιστοκλῆς ὁ βουλεύσας τῇ Ἑλλάδι πρὸ τῆς Σαλαμῖνος μάχεσθαι, ἱδρύσατο ναὸν Ἀριστοβούλης Ἀρτέμιδος ἐν Μελίτῃ τοῦ βαρβάρου καταπολεμηθέντος· τοῦτο μὲν ὁ χαρίεις συγγραφεὺς (Herodotum dicit) ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ παραιρούμενος καὶ τὴν δόξαν εἰς ἕτερον μεταφέρων ταῦτα γράφει κατὰ λέξιν . . .

Iam paulisper digrediamur et testimonia percenseamus, e quibus cognosci possit, quam potissimum ob causam Themistocli

tributum sit, quod barbari ea pugna victi essent. Ad quam quaestionem multum valent, quae apud ipsum Herodotum alio loco scripta leguntur: Cum fugatis hostibus ad aram Neptuni Isthmiaci a ducibus suffragia ferrentur, quis ipsorum summo honore dignus esset, palmam sibi quemque tribuisse, secundos honores Themistocli concessos esse; infecta re denique omnes abiisse. At Themistoclem cum nihilominus celebrari vellet, Lacedaemona profectum esse, ubi ipse palmam sapientiae accepisset, cum Eurybiadi praemium fortitudinis daretur. Herod. 8. 123. Unde discimus eum prudentia atque sollertia inter ceteros excelluisse. — Idem Themistocles ipse in sua laude posuit, qui confecto bello Persico Artemidi Consultrici templum dedicavit. Dianae enim gratiam rettulit, quod in eius finibus atque tutela (prope Munychiam) dimicatum est; quam Consultricem vocavit, quod egregium sibi consilium dedisset. cf. Plut. mal Her. c. 37 et Them. c. 22, 7.

Ac si quaerimus, in quibus tandem consiliis prudentia eius praecipue perspicua fuerit, ad res duas illa laus referri poterat: primum enim Eurybiadi persuasit, ut in regione opportunissima aciem instrueret deinde regem Persarum illexit, ut Graecis inclusis iis ipsis locis aggrederetur, quae adversarii elegerant. Si nihil aliud egisset, quam ut Atheniensium commodis consuleret et populares suos a damnis defenderet (quod vulgo nostra aetate creditur), non fuisset, cur a ceteris Graecis ei gratia referretur. Praemio dignus certe Themistocles non erat, nisi hoc ipsum consequi voluisset, quod propitiis diis assecutus est. An quis credat Lacedaemonios ob eam causam prudentiam viri celebravisse, quod ea bis turpissime elusi sunt? Nam si Herodoto adstipulamur, minis denique Eurybiadem coegit, ut Atheniensium gratia insulam defenderet: atque eo consilio Sicinum ad barbaros misit, ut Peloponnesii a fuga intercluderentur et necessitate coacti morem sibi gererent. At si Aeschylum fidissimum earum rerum testem audimus, non socii sed Xerxes ab eo deceptus est: quod ut contingeret prius illis consilium probandum fuit. —

Ad utramque laudem Thucydides spectare videtur, qui legatum Atheniensem apud Peloponnesios gloriantem facit cives suos bellis Persicis eum ducem praebuisse, qui cum effecisset, ut in angustiis pugnaretur, totam Graeciam in libertatem vindicavisset. lib. 1, 74.

Atque hoc quidem meritum, ut quoad fieri posset Themistocli eriperet, malignus ille auctor Herodoti fabulam de Mnesiphilo effinxit neque tamen assecutus est, ut fides mendacio a posteris haberetur. Notissimum est Plutarchi iudicium malignitatis Herodotum accusantis, quod memoriae talia tradidisset. Praeter hunc Thucydides narrationem Herodoteam refellit insigni de Themistocle elogio. lib. 1, 138 οἰκείᾳ γὰρ ξυνέσει, καὶ οὔτε προμαθὼν ἐς αὐτὴν οὐδὲν οὔτ' ἐπιμαθὼν τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων καὶ τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής. Nostri etiam scriptores in eo consentiunt, quod Themistoclem iam priore conventu pro hac sententia fortissime locutum esse narrant; neque desunt, qui omnino colloquium ab Herodoto narratum silentio praetereant. (Busolt p. 167. Duncker p. 272; cf. Wecklein p. 300.) Nolunt enim credere illum tam improbum fuisse, ut se in alienis meritis iactaret (καταλέγει ἐκεῖνά τε πάντα τὰ ἤκουσε Μνησιφίλου, ἑωυτοῦ ποιεύμενος), aut statim ab homine ignoto perspectum esse, quod illius acumen atque prudentiam fugisset; verisimilius ducunt et haec et cetera Themistoclis flagitia, quae ab Herodoto narrantur, inimicorum fraude evulgata esse. Jam supra docuimus, quam stulta atque incredibilia sint, quae in colloquio dicta feruntur.

Quae cum ita sint probare non possum, quod nihilominus scriptores nostri crediderunt duabus in contionibus de ea re deliberatum esse. Nam si constat ab initio Themistoclem acrem opinionis suae defensorem exstitisse, vix dubitare licet, quin statim quod appetivit impetraverit. Jam tum ad minas progredi oportebat, nisi argumentis Eurybiadi sociisque consilium probare valebat: facto certe decreto multo maiores difficultates superandae erant. Caveamus igitur,

ne nobis ipsi angustias creemus, cum ab Herodoto atque auctore eius omnia quae a Themistocle dicta atque gesta sunt ad unum tantum conventum referantur.

De periculo Atheniensium. Quoniam exposuimus, qua mente illa fabula composita atque narrata sit, ad alium locum contemplandum nos vertamus, qui quamquam ab illo mirifice abhorret, tamen in eandem narrationem ab Herodoto receptus est. In subsequentibus enim Themistocles ostendit in summo periculo versaturos esse, qui in insulam transfugissent, si consilium ad Isthmum proficiscendi exsequerentur. Ac primo quidem obtutu non necesse videtur periculum incolarum intellegere cum ille contendit, si classis abduceretur, Salamina, Megara, Aeginam peritura esse: possunt fortasse per se ea verba ad agrorum vastationem atque aedificiorum interitum referri. Sed non tam de agris atque possessionibus quam de periculis ipsorum scriptorem cogitavisse, paullo infra indicatur, cum adicitur: αὐτις δὲ Σαλαμὶς περιγίγνεται, ἐς τὴν ἡμῖν ὑποκέεται τέκνα τε καὶ γυναῖκες. Nam nisi exprimere voluisset una cum insula ipsos quoque perituros esse, non appareret, cur Herodotus omnino mulierum atque liberorum mentionem fecisset. In eam quidem opinionem, quam ipse modo significavi. omnes fere scriptores nostrae aetatis inciderunt: nullo enim alio loco niti possunt cum narrant in concilio de salute eorum, qui ante Isthmum habitavissent, actum esse. Busolt p. 167. Themistokles beruhigte sich jedoch nicht bei dem Beschlusse, der Salamis und Aegina mit den dorthin geflüchteten Familien der Athener dem Feinde preisgegeben hätte. Grote 3. 464. Duncker p. 271 274. Quae sententia quantum ab argumento fabulae supra tractatae absit, in propatulo est. Nam si ea fuissent tempora, quid Mnesiphilo erat respondendum? Nonne futurum fuisse consentaneum est ut primum res adversas civium suorum conquereretur deinde in ignaviam atque perfidiam Peloponnesiorum gravissime inveheretur atque circumspiceret, quomodo destitutis succurri oporteret? Apud Herodotum autem oratio ita procedit, ut non improbitatis sed imprudentiae incusentur

(ἀβουλίῃ), quippe qui non intellexerint, nisi ad Salamina exercitum contineri non posse. Deinde si de salute Atheniensium actum esset, non solum Themistocles sed quivis Atheniensis debebat adduci, ut quam primum inceptui resisteret. Qui haec memoria tenebat, confingere non potuit adhortatione Mnesiphili opus fuisse, ut decretum Eurybiadis mutaretur; at secundum illum auctorem Athenienses vel sequi parati erant. Qua de causa credibile non est Herodotum ex eodem auctore utrumque audivisse.

Apertius haec quae de periculo Atheniensium commemorantur postremis Themistoclis verbis contradicunt; minatur enim nisi dux Lacedaemoniorum sibi obsequeretur, se extemplo classem Atheniensem susceptis liberis et uxoribus Sirin in Italiae oppidum ducturum esse, unde apparet in periculo capitis certe eos qui in insula versabantur nondum fuisse. Nam si huic fabulae fidem adiungimus, Themistocles arbitratus est fieri posse, ut Salamine abducerentur et in tuto collocarentur. Mirum est quod viri docti eam offensionem toleraverunt et utrumque in historiam receperunt: ne Grote quidem eam discrepantiam, cum bene novisset, plane sustulit p. 464. When Themistoclês returned to his ship, with the necessity of providing for removal of the expatriated Athenian families in the island as well as for that of the squadron: et: the Athenians were also led by their own separate safety to cling to the defence of Salamis.

Ad oraculum Delphicum denique Themistocles provocat, quo praedictum sit, fore ut apud Salamina barbari vincerentur: Σαλαμῖνι κερδανέομεν, ἐν τῇ ἡμῖν καὶ λόγιόν ἐστι τῶν ἐχθρῶν καθύπερθε γενέσθαι.

Quod oraculum si ante pugnam Salaminiam notum fuisset, de opportunitate locorum nunquam certatum esset: neque quisquam suasisset, ut ad Isthmum castra ponerentur. Nam quanta auctoritas sacerdotum Delphicorum apud Lacedaemonios fuerit, e compluribus locis historiarum Herodoti disci potest. Imprimis Themistocles, qui primus sensum vaticinii

perspexisse fertur. incitari debebat, ut socios in ea regione contineret. Neque vero, quod ad hanc quaestionem plurimum valet, necessarium erat, ut malevoli fingerent eum a Mnesiphilo excitatum Peloponnesiis restitisse. Non illi sed sacerdotibus Delphicis ea laus reddenda fuit. Neque ita mirum est, quod oraculum atque narrationes Athenienses inter se coniungi nequeunt; nam si non totum oraculum at certe pars posterior bello Persico profligato a sacerdotibus composita est, neque veri dissimile est ab Herodoto demum spurios illos versus Athenas esse portatos. Quis enim credat sacerdotes venturi adeo providentes fuisse, ut locum atque eventum proelii tam definite praedicere potuerint?

μηδὲ σύγ' ἱπποσύνην τε μένειν καὶ πεζὸν ἰόντα
πολλὸν ἀπ' ἠπείρου στρατὸυ ἥσυχος ἀλλ'ὑποχωρεῖν
νῶτον ἐπιστρέψας ἔτι τοί ποτε κἀντίος ἔσσῃ.
ὦ θείη Σαλαμὶς ἀπολεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν
ἤπου σκιδναμένης Δημήτερος ἢ συνιούσης.

Nostri scriptores nihilominus Herodotum sequuntur. lib. 7 c. 141.

De potestate Eurybiadis. Transimus ad quaestionem difficillimam quae a viris doctis varie tractata, ad exitum non adducta est. Disserendum est quale ius atque potestas hoc loco Eurybiadi ceterisque ducibus ab Herodoto adscribatur; utrum illi licuerit suo arbitrio omnia gubernare, an ipsi parendum fuerit iis, quae maiori parti sociorum placuissent. Ac primum quidem cum narretur Eurybiadem ab Adimanto vetitum esse concedere, ut Themistocles sententiam diceret (οὐκ ἐῶν ἐπιψηφίζειν ἀπόλι ἀνδρί), quod Athenis captis patria careret, arbitrari debemus illos in suffragium ire solitos esse. Et quamquam scriptor hoc forta-se proprie significare atque intellegi noluit (πόλιν γάρ τὸν Θεμιστοκλέα παρεχόμενον οὕτω ἐκέλευε γνώμας συμβάλλεσθαι = consilium conferre), tamen illud certe credibile non est, inventorem fabulae (Wecklein p. 300) aliud sensisse atque apud Herodotum scriptum invenitur. Nam eo quod Themistocles patria erepta ceteris

dispar fuit et quasi illo carebat, cui ceterorum ius atque auctoritas connexa fuerunt, sane aliquis adduci poterat, ut eum iure suffragii prohiberet (formeller Einwand gegen seine Berechtigung mitzustimmen); sed nemo sanus Eurybiadem impedire potuit, quominus quemlibet audiret etiamsi sententiam numerare non licebat. Grote 466. Nay he went so far as to contend that Eurybiadês had no right to count the vote of Themistoclês until the latter could produce some free city as accrediting him to the synod. cf. Duncker 272. (Suffragia illos tulisse concludi potest ex 5. 55. νεικέων δὲ ὁ Ἀμομφάρετος λαμβάνει πέτρον ἀμφοτέρῃσι τῇσι χερσί, καὶ τιθεὶς πρὸ ποδῶν τῶν Παυσανίεω ταύτῃ τῇ ψήφῳ ψηφίζεσθαι ἔφη μὴ φεύγειν τοὺς ξείνους). Cum iis quae modo protulimus alius locus repugnat, quo traditur Eurybiadem sententiis perceptis decrevisse, ut ad Salamina pugnaretur. c. 64 ἐπεί τε Εὐρυβιάδῃ ἔδοξε, αὐτοῦ παρεσκευάζοντο ὡς ναυμαχήσοντες. Licet contemplari, qualia artificia viri docti struxerint, ut eum locum cum verbis Adimanti coniungerent. Grote 467. He did not however put the question again to vote, but took upon himself to recind the previous resolution. Busolt, die Lacedämonier und ihre Bundesgenossen. 1878 p. 412. Im Allgemeinen richtet sich der Oberfeldherr nach dem Beschlusse des Synedrions, doch hat er das Recht von ihm abzugehen und nach eigenem Ermessen zu handeln. Sed missis iis, quae Adimantus dicit, dubium non est, quid in reliqua narratione insit Nam penes Eurybiadem omne iudicium et potestatem fuisse disertis verbis a Mnesiphilo indicatur: ἴθι καὶ πειρέο διαχέαι τὰ βεβουλευμένα ἤν κως δύνῃ ἀναγνῶσαι Εὐρυβιάδεα μεταβουλεύσασθαι ὥστε αὐτοῦ μενέειν. Quocum consentit, quod ille auditis ceterorum sententiis continuo, quid fieri vellet, edixit: in suffragium socios missos esse nusquam commemoratur. Sententiae numerari solent inter pares (cf septem Persarum principes 3. 83). Eurybiadi hoc loco similis potestas attribuitur atque regi Persarum, qui concilium convocat, sententiam rogat, collatis denique consiliis eligit, quod ratum fixumque esset. (3. 80 γνώμην ἐσφέρειν; 8. 49 ἀποδείκνυσθαι; 5. 14 γνώμην

συμβάλλεσθαι: 1. 206 τῶν δὲ κατὰ τὠυτό αἱ γνῶμαι ξυνεσέπιπτον... Κροῖσος ὁ Λυδὸς ἀπεδείκνυτο ἐναντίην τῇ προκειμένῃ γνώμῃ... γνῶμαι μὲν αὗται συνέστασαν, Κῦρος δὲ μετεὶς τὴν προτέρην γνώμην, τὴν Κροίσου δὲ ἑλόμενος.) Quam ob rem nulla ceterorum ratione habita Themistocles statim Eurybiadem alloquitur; et ubi princeps concilii sententia illiur probata decernit, eadem eligendi notione Herodotut utitus: τάυτην δὲ αἱρέεται τὴν γνώμην αὐτοῦ μένοντας διαναυμαχέειν cf. 49 ἐβουλεύοντο προθέντος Εὐρυβιάδεω γνώμην ἀποφαίνεσθαι τὸν βουλόμενον.

Quae cum ita sint si necesse est ponere Herodotum id egisse ut ubique sibi constaret, ea ingredienda ratio est, quam Stein atque Curtius inierunt, scriptorem nihil aliud ἐπιψηφίζειν intellegi voluisse quam γνώμην συμβάλλεσθαι (Curtius 80. Themistokles, sagte er, dürfe gar nicht mitreden): tamen dubito num hoc recte statutum sit; neque enim perspicitur, cur omnino scriptor illud ἐπιψηφίζειν posuerit, quoniam propria vis vocabuli a sententia eius abesse videtur. Quam ob rem, cum supra demonstratum sit illam notionem a fabula postulari, equidem existimem Herodotum illa verba tradita accepisse nec mutare voluisse, quamquam a reliqua narratione abhorrerent. Verisimilimum autem est utrumque Herodotum a diversis auctoribus accepisse. Nam in fabula illa de Mnesiphilo malevolus atque infensus in Themistoclem animus cernitur; fabula altera benevolentiam atque admirationem eiusdem viri prae se fert hominemque depingit non mendacem sed fortem et amore patriae incensum.

Ubi de conventu priore disseruimus, aliquid silentio praeterivimus, quod ad extremum in quaestionem vocandum est. Refertur enim, dum duces deiberant ab homine Atheniensi nuntiatum esse barbaros arcem Athenarum expugnavisse: quo eum tumultum subito exortum esse, ut pars in naves rueret et profectionem moliretur; a reliquis autem constitutum esse, ut ad Isthmum classis duceretur Suspicio est haec ante Herodotum a fabula afuisse. In eo enim haerere debemus, quod nuntius ad progressum et eventum rerum gerendarum

nullo momento est. Nam etiamsi non advenisset, exspectandum erat, ut Eurybiades in sententiam Peloponnesiorum adduceretur, quam contra nihil erat prolatum, quod maiorem vim persuadendi haberet: ne illud quidem narratur duces timore adductos esse, ut iter accelerarent. Huc quoque refertur, quod iam supra attigimus, nec Themistoclem nec Mnesiphilum familiis Atheniensium tim-re videri, quamvis proximum periculum ingruisse feratur. Concedi oportet rem alienam inseri et aequabilitatem narrationis interrumpi; qua de causa verisimile non videtur ab uno auctore narrationem ab Herodoto prolatam originem duxisse Nam cur malevolus ille homo, qui fabulam in ignominiam Themistoclis composuit, aliquid commemoraret, quod consilio suo non solum non profuit sed auditoris animum iab eo quod docere voluit abducturum erat?

Ad eam quae desideratur aequabilitatem comparandam scriptores nostri primum posuerunt, timore ducum effectum esse, ut consilium Themistoclis in cassum proferretur; dimissa contione aut in classem exercitum impositum esse aut naves n diem posterum expeditas. Duncker 271 **am nächsten Morgen abzufahren, die Schiffe noch in der Nacht zu bemannen.** Grote 464 and each of thim went to his ship to prepare for it on the following morning. Quae statuere non tam probabilitate quam necessitate coacti esse videntur. Nam quis tam mirabiliter narraret illos iam tum naves ascendisse, ut postero demum die solverent? Deinde non intellegitur, quid tandem ea cum festinatione expediendum fuerit, quamvis et nox ingruisset et omnia vel ad pugnandum apparata fuisse crederes. Si alterum utrum Herodotus indicare voluisset, apertius locutus esset: sed nihil scriptum invenitur nisi: νύξ τε ἐγένετο καὶ οἱ διαλυθέντες ἐκ τοῦ συνεδρίου ἐσέβαινον ἐς τὰς νέας; quod si quis animo non praeoccupato legerit, in eam opinionem inducetur, ut putet eos se in naves contulisse, quod ibi commorari ac fortasse dormire soliti fuerint. Curtius 79. **Themistokles kehrte mißmutig und von vergeblicher Anstrengung ermattet auf sein Schiff zurück.** Ut comprehendamus breviter, quae adhuc a nobis demonstrata

sunt, in eo maxime viros doctos peccavisse vidimus, quod animo praeoccupato ad explicandum scriptorem aggressi necesse esse sibi persuaserunt, ut omnia, quae ab Herodoto proferuntur, bona atque perfecta et scriptore digna essent. Ostendimus, quantum a sensu verborum aberraverint, cum fabulam de Mnesiphilo atque de priore concilio narratam ita explicare studerent, ut et narratio aequabiliter proflueret et inepta Mnesiphili oratio corrigeretur speciemque probabilitatis indueret. Deinde cum primo obtutu discordare ii loci viderentur, e quibus aliquid de potestate Eurybiadis colligi poterat, mirabilia artificia struxerunt, ut discrepantiam tollerent. Quin etiam in verba Herodoti iurare consueti in id vitium inciderunt, quod maxime reformidare solent, ut contraria proferrent et quod modo posuerunt, commemorata fabula diversa tollerent: modo clamant propinquos Atheniensium perituros fuisse, si Eurybiades classem abduxisset, modo credibile ducunt Eurybiadem timuisse, ne illi a Themistocle Sirin transportarentur; renarrant temere Themistoclem socios de oraculo Delphico admonuisse, quod si iam tum exstitisset, concilia et certamina supervacua fuissent. Sed etiamsi conceditur non unam et continuam historiam hoc loco a scriptore proferri sed conglutinatam e diversis fabulis, non sublatis discrepantiis aut ineptiis: estne concludendum Herodotum hominem stultum, ineptum, inconsideratum fuisse?

Si quis eum credulitatis incuset, quod multa, quae fabulosa sunt, apud eum reperiantur, statim omnes ad eum locum provocent, quo ipse professus est: suum esse narrare, non credere, quae ab hominibus traderentur. Eodem testimonio Plutarchus refutari solet, qui Herodoto crimini vertit, quod malignas illas fabulas de Themistocle atque Adimanto protulisset. Quid impedit, quominus eodem testimonio scriptorem defendamus, si quid minus apte et concinne narratum esse videtur. Non necessario sequitur, ut differentiae illae sagacitatem scriptoris fugerint. Quae ipse pro veris habuerit scire non possumus, nisi ex ipso (8. 63 ταῦτα δὲ λέγοντος ἀνεδιδάσκετο

Εὐρυβιάδης. δοκέειν δ'ἐμοί, ἀρρωδήσας μάλιστα τοὺς Ἀθηναίους ἀνεδιδάσκετο, μή σφεας ἀπολίπωσι, ἢν πρὸς τὸν Ἰσθμὸν ἀνάγῃ τὰς νέας). Sed num eam quam indicavimus rationem Herodotus inierit et consulto quae inter se dissentiunt, non mutata reliquerit, melius diiudicabitur, ubi plures narrationes in examen vocatae erunt.

II.

Quomodo classis Graecorum ante pugnam Salaminiam a Persis circumventa sit.

Ad quaestionem notissimam pervenimus, quae cum a viris doctis ad exitum nondum perducta sit, facillime expediri potest, ubi in Herodoto eam rationem historicam requirere destiterimus, quae nostris scriptoribus tanquam insita atque innata est, et postulare, ut quae ille quinquaginta annis qost bella Persica composuerit, rerum gestarum veritati respondeant. Sed priusquam ipse de hac quaestione disseram, paucis quid viris doctis placuerit significabo. Ac primum quidem fuerunt, qui sibi persuaderent in narrationibus Herodoti atque Aeschyli, (Persae v. 350; Her. 8. 67), illud latere, quod planius atque disertius a Diadoro expositum esset: Primum regem Persarum, consilio hostes circumveniendi capto, maximam partem navium a Phalero Salamina versus misisse, deinde Aegyptiis mandavisse, ut angustum fretum, quod inter fines Megarensium insulamque esset, navibus occuparent atque obstruerent. Diod. XI. 17. εὐθὺς οὖν (ὁ Ξέρξης) τὸ τῶν Αἰγυπτίων ναυτικὸν προσέπεμψε προστάξας ἐμφράττειν τὸν μεταξὺ πόρον τῆς τε Σαλαμῖνος καὶ τῆς Μεγαρίδος χώρας, τὸ δὲ ἄλλο πλῆθος τῶν νεῶν ἐξέπεμψε ἐπὶ τὴν Σαλαμῖνα προστάξας ἐξάπτεσθαι τῶν πολεμίων καὶ ναυμαχίᾳ κρίνεσθαι τὸν ἀγῶνα cf. 19 οἱ Ἕλληνες ἐξέπλευσαν καὶ τὸν πόρον μεταξὺ Σαλαμῖνος καὶ Ἡρακλείου κατεῖχον.

Leake, die Demen von Attika 1824 übers. v. A. Westermann 1840 p. 197.

Thierwall, history of Greece vol. II. Lond. 1835 p. 305

Loeschke, Ephorusstudien I, die Schlacht bei Salamis, Jahrb. f. Phil. 1877, 25.

Goodwin, the battle of Salamis in Papers of the Americ. School of Classical Studies of Athens vol. I. 1885 p. 234.

Alii posuerunt universam classem barbarorum a Phalero (vel a Piraeo) per angustias freti Atticam a Salamine dirimentis profectam esse, donec praetervecta oram Atticae maritimam et castra Graecorum, dexterum cornu usque ad Aegialeum promovisset et exitum freti ad septentrionem spectantem obstruxisset.

Grote, history of Greece vol. III. p. 467.

Busolt, Rh. Mus. 1883 p. 627.

Busolt, Neue Jahrb., die Chronologie der Perserkriege 1887 p. 40.

Busolt, Griechische Geschichte 2. Bd.

Atque hanc quidem Grotii narrationem Duncker suscepit simul e Diodoro adiciens partem navium circum insulam ad exitum Megaricum missam esse; consenserunt Sihler et Stein (ad c. 76).

Duncker, Gesch. des Alterthums 7. Bd.

Sihler, the battle of Salamis in Trans. of Am. Phil. Assoc. 1877 p. 109.

Propriam viam ingressi sunt:

Curtius, Griechische Geschichte 2 Bd.

Lolling, die Meerenge von Salamis, in hist. u. phil. Auff. Festgab. an E. Curtius 1884.

Quibus argumentis singuli nisi sint, exponam ubi progrediente quaestione ad eos locos explicandos pervenero, quos illi ad firmandam sententiam suam attulerunt. Nam e recta auctorum explicatione omne iudicium pendet; quod vel ex eo intellegitur, quod omnes fere viri docti suas opiniones cum testimoniis Aeschyli atque Herodoti congruere existimaverunt.

Ordiendum nobis est a notissimo illo atque obscurissimo loco cap. 76, quem viri docti varia explicatione temptaverunt, id tamen omnes assecuti, ut cum ea de rebus gestis opinione,

versibus poetam ad aciem ipsam alludere, cum pontis speciem naves praebituras esse praedicat; in qua pontis notione inest aliam navem iuxta aliam positam fuisse (velut in eo ponte, quem Xerxes in Hellesponto fecerat) terrasque aequore discissas inter se coniunctas esse. Quod accidere necesse erat, simulatque acies ante angustias Salaminias instrueretur. Quam ob rem dubium non est, quin loca a Bacide indicata proxime insulam eamque regionem sita fuerint, ubi pugna commissa est (carmine Bacidis pro certo aliquo testimonio utimur, cum non multo post eventum compositum sit). In qua regione nullus inveniebatur locus, qui apte Ἀρτέμιδος ἱερὸς ἀκτή vocari potuerit, nisi id litus, quod prope templum Dianae Munychiae se extendebat. Deinde exadversus Piraeum paeninsula a Salamine in mare est producta, quae cum cauda canis (κυνόσουρα) bene comparari poterat. Credibile est inter eam paeninsulam atque litus Atticum naves barbarorum collocatas fuisse, cum manus consererentur; sive universa acies sive cornu alterum significatum est, quod ex solo hoc loco non colligitur.

Atque Herodotus cum dicit, id cornu, quod ad orientem versisset, omne fretum usque ad Munychiam portum navibus occupasse, nomen definitum pro eo ponit, quod verbis Ἀρτέμιδος ἱερὸς ἀκτή indicatum erat; quamquam magis curat ut verbis satisfaciat, quam ut sensui carminis atque probabilitati (Busolt N. Jahrb. 1887. 41. Stein). Non erat necessarium usque ad portum ipsum aciem porrigere neque verba oraculi tam artam explicationem desiderabant. Sed Munychiam ea mente commemorat, ut unum classi barbarorum terminum statuat (μέχρι M . .): qua de causa cum aperte non indicetur, quousque cornu alterum productum fuerit, eo debemus adduci ut credamus, scriptorem alteram terminationem, quae deest, sub verbis οἱ περί τὴν Κέον τεταγμένοι subintellegi voluisse; atque illis verbis significari eos, qui circa Ceum consistere iussi fuerint (τάσσειν beordern, anweisen). Et cum satis fuisset Cynosoram commemoravisse, ut verum praedixisse vatem perspicuum fieret, ora-

culorum autem auctores certam definitionem vitare soliti sint, probabile est Κυνόσουραν arcanum atque sacrum nomen promunturii fuisse, cui Herodotus proprium atque vulgatum adiecerit. Exemplis a Steinio demonstratum est Horodotum particulis τε καὶ nonnunquam duas significationes eiusdem rei coniunxisse. Ac si quis in eo haeret, quod articulus bis positus est, nihil in eo differentiae positum fuisse discet e c. 85 οὗτοι γὰρ εἶχον τὸ πρὸς Ἐλευσῖνός τε καὶ ἑσπέρης κέρας . . . οὗτοι δ᾽εἶχον τὸ πρὸς τὴν ἠῶ τε καὶ τὸν Πειραιέα.

In his quae adhuc disseruimus, cum Steinio facere potuimus, in reliquis ab eo dissentimus. Opinatur enim, quod vulgo ante eum credebatur (cf. Grote), naves barbarorum priusquam consilio Themistoclis ad insulam promoverentur, circa Phalerum in statione fuisse. Sed cum illud litus a meridie ad septentrionem vergeret, ferre non potuit (in quo ante eum nemo offenderat) quod τὸ ἀπ᾽ ἑσπέρης κέρας eae naves dicerentur, quae cornu dexterum tenuissent. Comparato igitur c. 85, ubi illud cornu ad occidentem versisse dicitur, quod Graecos a sinu Eleusinio interclusisset, sibi persuasit τὸ ἀπ᾽ ἑσπέρης κέρας potius in vim anticipationis accipiendum atque ad eas naves referendum esse, quae cum acies instrueretur, illud cornu occupaturae fuissent. In ceteris ad sententiam Grotii accedit atque ponit Persas Phalero relicto secundum litus Atticum vehentes cornu alterum usque ad Aegaleum promovisse et ab hac parte fretum obstruxisse, cum cornu alterum ad Cynosuram adduceretur; ita ut rotundo ambitu castra Graecorum (quae in portu Salaminio fuerant) circumicerentur. Atque hanc quidem Steinii interpretationem plerique probaverunt, qui post eum hoc loco usi sunt:

Loeschke p. 27; Sihler p. 114; Duncker p. 281. — 1. Nos vero demonstrare posse nobis videmur, haec nec recte nec necessarioa viris doctis statuta esse. Primum enim concedi oportet, ambiguitatem quandam atque obscuritatem in illa anticipationis figura inesse, quam Herodotus sane vitare debuit, ne in errorem legentes induceret. Deinde iam a Klotzio recte monitum est

(ad Luciani dialogg. mortt. p. 47; quem Baehr laudavit) ἀπ' ἑσπέρης non plane idem esse atque πρὸς ἑσπέρης, sed proprie significare id cornu, quod ab occidente locatum fuisset atque ab ea regione (ἀπὸ) ad insulam admoveretur (= τὸ πρὸς ἑσπέρης κέρας ἀπ' εσπέρης ἀνῆγον). Quae vera opinio Herodoti fuerit, statim apparebit, alio loco collato atque considerato.

De motu classis Persicae priore. Narratur enim c. 69 simulatque classis Persica ad Atticam pervenisset, regem ad Phalerum descendisse conciliumque habuisse, in quo omnes praeter Artemisiam proeium suasisse: quodcum regi et ipsi placuisset, imperatum esse, ut se ad pugnam quisque praepararet. Deinceps haec apud Herodotum sequuntur: ἐπεὶ δὲ παρήγγελλον (duces navium) ἀποπλώειν, ἀνῆγον τὰς νέας ἐπὶ τὴν Σαλαμῖνα καὶ παρεκρίθησαν διαταχθέντες κατ' ἡσυχίην· τότε μέν νυν οὐκ ἐξέχρησέ σφι ἡ ἡμέρη ναυμαχίην ποιήσασθαι· νὺξ γὰρ ἐπεγένετο. οἱ δὲ παρεσκευάζοντο ἐς τὴν ὑστεραίην. Quibus verbis Herodotum nihil aliud narrare viri docti arbitrati sunt, nisi classem paullulum e portu Salamina versus eductam esse, et plerique in medio relinquunt, quousque processerit. Thirwall 303: but the hour was so late, that there was only time to perform the evolution without advancing into the straits. Grote 467: Xerxes, whose fleet was seen in motion, towards the close of the day, preparing for attack the next morning. Leake 199 ad alium locum spectans: welche am vorhergehenden Nachmittag sich bei Cynosura in Schlachtordnung aufgestellt hatten. Sihler 114 posuit in Piraeo multitudinem fuisse, Goodwin 251 a Phalero exiisse, cum Graeci includerentur. Duncker 289: Die Schiffe wurden näher an die phalerische Bucht herangezogen. Die Admirale wiesen den Führern ihrer Abteilungen ihre Plätze für den nächsten Tag an. Busolt M. Jahrb. 41: Die Perser schoben ihre Schiffe von Phaleron gegen Salamis vor. Dabei erreichten sie zunächst die Insel Psyttaleia und die Spitze Cynosura, und hier steht denn auch der westliche persische Flügel, als er um Mitternacht zur Einschließung vor-

zugehen beginnt. — Quibus universis respondendum est, ἐπὶ τὴν Σαλαμῖνα proprie non esse Salamina versus, sed ἐπὶ terminum significare, ad quem contenderint: id quod illi statuerunt, praepositione πρὸς exprimi solet. Deinde παρακρίνεσθαι obiecto carere non potest, quod ex antecedentibus suppleri debet: ἀνῆγον τὰς νέας ἐπὶ τὴν Σαλαμῖνα καὶ παρεκρίθησαν (παρὰ ταύτην τὴν νῆσον). cf. 9. 98. παρεκρίθησαν παρὰ τὸν αἰγιαλόν. Maxime autem mirum fuisset, nisi ipso eo loco acies instituta esset (παρεκρίθησαν διαταχθέντες), quo proelium commissuri erant. Quodsi hoc, a ratione ipsa commendatum, ponimus atque intellegimus Persas exadversus castra hostium constitisse, optime verba ἐπὶ et παρακρίνεσθει quadrant, quae ab illa opinione nobis abhorrere videbantur.*)

Accedit quod summum est: si statuitur iam antequam Sicinus verba Themistoclis ad regem transtulisset, classem Persarum litus Atticum insulae proximum occupasse et castra hostium a fronte habuisse, facillime is locus explicatur, quem supra tractare coepimus. Nam cum nusquam referatur Persas Phalerum rediisse, τὸ ἀπ' ἑσπέρης κέρας *proprie intellegere licet id cornu, quod prope Aegaleum montem castra habuerat, quo ad insulam adducto Graeci ab occidente inclusi sunt. Cornu alterum, quod ad orientem spectaverat et sine dubio Piraeo tenus extendebatur, cum naves solutae essent*, ad Ceum recta via adductum *est*, quod promunturium exadversus Piraeum fere situm erat. Si hoc animo scriptoris obversatum est, facillime declaratur, cur de iis navibus nihil rettulerit, quae circum insulam ad exitum Megaricum missae traduntur, quibus mandatum esse dicitur, ut adversarios reprimerent atque repellerent, si rege a Phalero appropinquante per illud freti ostium effugere

---

*) Leake arbitratus est scriptorem indicare voluisse Persas ante ostium freti prope Cynosuram et Psyttaleam aciem constituisse; quod certo argumento refelli potest: nam si ea sententia Herodoti fuisset, iam hoc loco oraculum Bacidis commemorasset: iam tum enim accidisset, quod ille vaticinatus erat, ut pons in aequore fieret.

conarentur. Neque enim iam timendum erat, ne illi se ex inclusione eriperent, simulatque rex quid agerent comperisset et utrumque cornu in altum deduxisset. (sed si rex de consilio sociorum celaretur, nondum omnis spes nocte fugiendi interclusa erat). Narratio Herodotea, si recte explicatur, illam expeditionem non desiderat; Stein contra atque Duncker, qui alio modo interpretabantur, statuere coacti sunt illud factum apud Herodotum praetermissum esse.

At quod a nobis demonstratum est haud scio an alio loco confirmetur. Tradit enim Herodotus quoad Aristides Aegina advenisset, Graecos se circumventos esse ignorasse atque putavisse hostes iis locis versari, quibus de die collocatos vidissent. c. 78. *ἀλλ' ὥσπερ τῆς ἡμέρης ὥρεον αὐτοὺς τεταγμένους, ἐδόκεον κατὰ χώρην εἶναι.* Non crediderim Herodotum regionis tam ignarum fuisse, ut crederet, qui in Phalero essent, a portu insulae conspici: verba *τῆς ἡμέρης* et *τεταγμένους* aperte ad eam aciem spectant, quae ante occasum solis instructa erat.

Ea autem quae ex his locis concludenda esse contendimus, cum c. 85 congruunt, in quo describitur, qualis adversariorum acies ineunte proelio fuerit: *κατὰ μὲν δὴ Ἀθηναίους ἐτετάχατο Φοίνικες (οὗτοι γὰρ εἶχον τὸ πρὸς Ἐλευσῖνός τε καὶ ἑσπέρης κέρας) κατὰ δὲ Λακεδαιμονίους Ἴωνες· οὗτοι δ' εἶχον τὸ πρὸς τὴν ἠῶ τε καὶ τὸν Πειραιέα.* Ac ne quis credat nova atque incognita me protulisse, eodem modo res apud Curtium enarratas inveniet (2. 67—69); simplicissima sane haec explicatio est neque dubito, quin iam pridem agnita atque recepta esset, si quae ratio scriptori cum Aeschylo intercederet, perspectum fuisset.

De Persis Aeschyli. Quoniam de narratione Herodotea satis dictum esse videtur, ad Aeschylum nos convertamus, quem ipsum proelio interfuisse Io memoriae prodidit: schol. ad vers. 429 *Ἴων ἐν ταῖς Ἐπιδημίαις παρεῖναι Αἰσχύλον ἐν τοῖς Σαλαμινιακοῖς φησι.* Pausan. 1. 14. 5. Ac ne quis miretur, si de acie eum prorsus alia atque Herodotum referre demonstratum erit, enumerabo in quibus praeterea inter se discrepent. Herodotus auctor est regem iam navale proelium committere

voluisse, priusquam dolo Themistoclis deciperetur. Sed cum nox supervenisset, aciem tantum instructam, proelium in diem posterum dilatum esse. Sed sub eandem noctem exercitu pedestri adversus Peloponnesum proficiscente (c. 70) ingentem timorem animos sociorum incessisse, non tam sibi metuentium quam Peloponneso. Tumultu denique exorto atque Eurybiade rursus concilium habere coacto, cum sententia Peloponnesiorum victura esset, a Themistocle Sicinum servum ad castra Medorum missum esse, qui illos verbis Themistoclis adhortaretur, ut a fuga, quam molirentur, Graecos intercluderent.*) Cui nuntio cum fides haberetur, barbari media nocte naves deduxerunt et ostia freti occupaverunt (177. ἐπειδὴ ἐγίνοντο μέσαι νύκτες). Graecos contra perrexisse de receptu certare ac ne tum quidem altercari desiisse, cum Aristides Aegina transgressus quod factum esset nuntiaret.

Haec quam rettuli narratio pluribus de causis suspecta est, ut paucis eam quaestionem absolvam. Nimis multa enim concurrunt, quae probabilitate atque verisimilitate carent; primum quod narratur Aristidem ipso illo momento temporis ex exilio rediisse, quo inclusio facta esset, et per densam hostium aciem iter fecisse (φάμενος ἐξ Αἰγίνης τε ἥκειν καὶ μόγις ἐκπλῶσαι λαθὼν τοὺς ἐπορμέοντας); deinde quod contenditur: quamquam Eurybiades prope in sententiam Peloponnesiorum transiisset, tamen certamen continuatum esse, quoad Sicinus ad naves barbarorum transvectus esset, adversarii naves conscendissent et promovissent, Aristides denique advenisset, fugiendi autem copia, opinor, adempta esset, quia maior pars noctis praeterierat. Credibilius est eam fabulam in honorem Aristidis fictam

*) ὡς ἑσσοῦτο τῇ γνώμῃ ὑπὸ τῶν Πελοποννησίων perperam Duncker intellexit: cum victus esset. „So hörte der Streit mit dem Beschluß des Rückzuges nicht auf“; minus recte Stein „als er sah, daß seine Ansicht bei den Peloponnesiern unterliegen würde“, qui ipse cognovit, huic explicationi c. 9. 122 obstare: ἑσσωθέντες τῇ γνώμῃ πρὸς Κύρου = a Cyro; immo penes Eurybiadem, non penes duces sociorum summum imperium fuisse supra ostendimus; sententia Peloponnesiorum apud Eurybiadem victura esse traditur.

esse, velut illa quae de expugnata Psyttalea referuntur; sed de hac quidem quaestione infra agemus. Interim adicimus in nonnullis aperte Herodoto Aeschylum refragari, quae vel poetae credere debemus (Loeschke de veritate dubitat; non tamen omnia ut ficta reicit.)

Ex Aechylo autem discimus, Themistoclem non Graecos sed regem decipere voluisse: quod primum demonstrare videtur v. 361 ὁ δ'εὐθὺς ὡς ἤκουσεν, οὐ ξυνεὶς δόλον Ἕλληνος ἀνδρός.. vel v. 351 quo animum regis poeta ab iratis diis occaecàtum esse ait, quod admonitioni Themistoclis paruit. Idem ex eo quoque apparere videtur, quod studiose lectores admonet, Graecos cum nox ingruisset non fugisse, et quod describit, quomodo barbari obstipuerint, ubi adversarios Paeana canentes audivissent atque intellexissent, non ad fugam sed ad proelium illos praeparatos esse; tanquam prohibere instituerit, ne quis putaret a Sicino ad regem vera allata esse. Atque tantum abest, ut omiserit ignaviam Graecorum commemorare (Goodwin 247 indeed he wisely omits all mention of the ignominious resolution of the previous day), ut consulto lectores fefellisse putandus sit, si revera Graeci illo die de fuga deliberaverunt:

382 καὶ νὺξ ἐχώρει, κοὐ μάλ' Ἑλλήνων στρατὸς
κρυφαῖον ἔκπλουν οὐδαμῇ καθίστατο·
392 . . . φόβος δὲ πᾶσι βαρβάροις παρῆν
γνώμης ἀποσφαλεῖσιν·

Accedit quod cum Themistocles servum suum de die miserit (355 ὡς εἰ μελαίνης νυκτὸς ἵξεται κνέφας, Ἕλληνες οὐ μενοῖεν), probabilius est probantibus ceteris rem gestam esse. Sed utut res sę habet, hoc certe Aeschylus dilucide dicit a rege consilium aggrediendi non prius esse captum, quam Sicinus advenisset. Interroganti enim Atossae, quale exordium certaminis fuerit, num filius multitudine navium fretus ultro impetum fecerit, nuntius haec respondet: 350 ἦρξεν μὲν ὦ δέσποινα τοῦ παντὸς κακοῦ φανεὶς ἀλάστωρ ἢ κακὸς δαίμων ποθέν; deinceps fraus Themistoclis enarratur. Atque hoc certe, quod

ad progressum quaestionis satis est statuisse, a viris doctis agnitum est, qui in ceteris utrumque scriptorem congruere rati sunt. Stein ad c. 70. Herodot weicht hier von der Erzählung des Aeschylus ab: er läßt die Auffahrt schon an diesem Tage geschehen, jener erst nach Anbruch der Nacht; aber c. 76 beginnt auch bei Herodot die Auffahrt erst um Mitternacht. Similiter Busolt, Gr. Gesch. 169. 1, qui Herodotum Aeschylo praeferendum esse censet.

Sed pergamus differentias auctorum percensere. Apud Aeschylum servus non ad duces Persarum mittitur (Herod. 75) sed ad regem ipsum (v. 356); ad quem non nocte sed de die pervenit, antequam caenandi tempus adesset (δεῖπνόν τ᾽ ἐπορσύνοντο 375); e castris barbari non media nocte egrediuntur, sed paullo post occasum solis (v. 377).

Praeterea cum iam priore die barbaros in angustias invectos esse ibique et aciem constituisse et pugnavisse Herodotus auctor sit, *apud Aeschylum usque ad initium proelii fretum non intraverunt*: qui quidem etiamsi illuxisset, primum paeana audivisse narrantur, unde Graecos ad pugnam paratos esse cognovissent, deinde signum tuba datum auribus percepisse; conspectos adversarios non prius fuisse, quam remis incubuissent atque naves concitassent. Quod deinceps commemoratur, non intellegitur, nisi statuitur Persas *ante ostium* freti aciem explicuisse. Scripta enim haec sunt. 398 θοῶς δὲ πάντες ἦσαν ἐκφανεῖς ἰδεῖν· τὸ δεξιὸν μὲν πρῶτον εὐτάκτως κέρας ἡγεῖτο κόσμῳ, δεύτερον δ᾽ ὁ πᾶς στόλος ἐπεξεχώρει· Hoc significat: primum cornu dexterum produxerunt, ad quod deinde ceterae naves accesserunt. (ἐπεξεχώρει). Ex eo quod cornui dextero reliquae naves rursus coniunctae sunt, apparet illas non ad impetum faciendum productas esse, sed artificium militare molitas esse, quod adhibere maxime expediebat, si cum a dextera hostem habuissent, quamdiu in portu inerant, aequare ordinem cum Persis voluerunt.

Quod egregie a Loeschkio cognitum est, quem Busolt frustra studet refellere, arbitratus hos versus non minus apte

ad Herodoteam narrationem quadrare. Jahrb. 1887 p. 43. cf. Loeschke, p. 30. Der rechte Flügel, welcher der Landzunge zunächst geankert hatte, hatte naturgemäß die Führung und erscheint zuerst bei Cap Tropaia (Cynosura), hinter ihm deployiert die gesammte Flotte und stellt sich so auf, daß der rechte Flügel Cynosura im Rücken hat. Quod argumenti causa addit cornu dexterum non ad proeliandum progressum dici, quia Herodotus referat Athenienses, in altero cornu collocatos, primos conseruisse manus, equidem praetermittam, cum maxime id agam, ut Herodotum ab explicando Aeschylo procul habeam. Aciem autem Persarum primo in angustiis freti non fuisse, optime cernitur in versibus his, qui mea sententia neque antiquitus neque hodie recte sunt perspecti.

τὰ πρῶτα μέν νυν ῥεῦμα Περσικοῦ στρατοῦ
ἀντεῖχεν· ὡς δὲ πλῆθος ἐν στενῷ νεῶν
ἤθροιστ᾽, ἀρωγὴ δ᾽ οὔτις ἀλλήλοις παρῆν,
αὐτοὶ δ᾽ ὑφ᾽ αὑτῶν ἐμβόλοις χαλφοστόμοις
παίοντ᾽, ἔθραυον πάντα κωπήρη στόλον·

Haec ita reddit Loeschke p. 30. Als sie bei weiterem Vor- und Nachdringen mit ihren Schiffen in die Meerenge gerieten. Thirwall 307: as the Persians approached, the Greeks backed their galleys, probably till they saw the enemy closely pent in the brief space. Ille etiam ex quo Diodorus excerpsit (11. 17), a vero aberravit. Nam ex Aeschylo fluxisse videntur quae scribit: οἱ δὲ Πέρσαι τὸ μὲν πρῶτον πλέοντες διετήρουν τὴν τάξιν· ὡς δὲ εἰς τὸ στενὸν ἦλθον, ἠναγκάζοντο τῶν νεῶν τινας ἀπὸ τῆς τάξεως ἀποσπᾶν καὶ πολὺν ἐποίουν θόρυβον. Quibus respondeo non in στενὸν sed in πλῆθως summam vim sententiae positam esse: initio nimirum ab ordine primo (triplex acies instructa fuit v. 350) impetus factus est; cui cum ceteri auxilium ferrent et universi in angustias convenissent (ἤθροιστο) adiumento quidem non fuerunt; immo cum posteriores temere urgerent primamque aciem ictibus navium vulnerarent (ἐμβόλοις χαλκοστόμοις) magno detrimento omnes sunt affecti. Qui alteram explicandi rationem sequuntur, ponere debent Graecos initio

repulsos esse, cui sententiae minime vis vocabuli ἀντεῖχον favet; nam si consulto refugissent, magis sine dubio eam rem poeta extulisset.

Superest ut de iis versibus agamus quibus a poeta exponitur, qua ratione Xerxes adversarios a fuga intercludere instituerit; mandantur ducibus haec:

364 τάξαι νεῶν στῖφος μὲν ἐν στοίχοις τρισίν
ἔκπλους φυλάσσειν καὶ πόρους ἁλιρρόθους,
ἄλλας δὲ κύκλῳ νῆσον Αἴαντος πέριξ·
ὡς εἰ μόρον φευξοίαθ᾽ Ἕλληνες κακόν,
ναυσὶ κρυφαίως δρασμὸν εὑρόντες τινά,
πᾶσι στέρεσθαι κρατὸς ἦν προκείμενον·

Primum referam quomodo hos versus Sihler interpretatus sit, ut illustretur, qualia artificia viri docti struxerint, cum id agerent, ut parem sententiam apud Herodotum atque apud Aeschylum assequerentur. Qui postquam posuit τάξαι ἐν στοίχοις τρισὶν idem valere atque in tres turmas dividere, in hunc modum pergit p. 114 the first line takes a position ἔκπλους φυλάττειν, to watch the στένον, the next στοῖχος is the one which takes the east side of the sound itself from the Piraeus to Eleusis, the πόρους ἁλιρρόθους . . . . ἄλλας δὲ κύκλῳ . . this is very probably the line between the western coast of Salamis and Megaris, the line mentioned by Diodorus. Sed verba ἄλλας δὲ opposita praecedentibus στῖφος μὲν vetant de pluribus quam duabus partibus cogitare: altera iussa est custodire ostia (alia significatione πόροι, viae marinae, vocata), pars minor insulam circumsistere atque includere. Nihil causae esse videtur, cur cum universe πόροι poeta dicat, non eum quoque exitum intellegamas, qui occidentem versus patebat, ostium Megaricum. (Secus existimant Leake 199 rund um Salamis, besonders aber in der Enge bei Megara. Loeschke 29).

Neque vero minus in errore versari videtur Busolt, qui verbis ἄλλας δὲ κύκλῳ νῆσον Αἴαντος πέριξ eas a poeta significari putat, quae secundum litus Atticum castra Graecorum circumvectae essent. Griech. Gesch. 172, Jahrb. 1887. 43.

Nam docere supra conati sumus apud Aechylum Persas ante proelium angustias; non ingressos esse ceterum a nobis demonstratum est ipsum Herodotum ab ea sententia abesse, cui Busolt Aeschylum conciliare voluit.

Quamquam regem ostium Megaricum missis circum insulam navibus occupavisse magis ratione atque argumentis, quam poetae testimonio comprobatur. Maxime enim Xerxem id egisse comperimus, ut inopinatos opprimeret adversarios, ne ubi ipsum appropinquantem animadvertissent, terga darent atque sese e periculis eriperent. Qua de causa quamvis a Sicino certior factus esset illos in amino habere prima nocte effugere, commoratus est dum dies praeteriisset. Adeo autem iis locis mare coartatur, ut praetervehentes intra fretum si non conspici at certe audiri sit necesse; quod a peritis eius regionis affirmatum est (Goodwin 242: within hearing distance). Qua re coactus est ab occidente insulam circumvehi atque naves de nocte solvere, ne a custodiis sine dubio dispositis prospicerentur. Consentiunt cum nobis Loeschke 30, Goodwin 248, cf. Diodorus 11, 18.

Quoniam nobis proposuimus, ut quaecunque a viris doctis de hac quaestione disputata sint examinemus, non alienum erit hoc loco eos commemorare, qui cum recte quid Aeschylus narret cognovissent, eundem sensum e narratione Herodotea elicere studuerunt. Thirwall locum Herodoteum ita vertit 305: one line stretched from Cynosura, the eastern promontory cf the island, to the Attic post of Munychia; another from Ceos, probably the western cape of Salamis, round the mouth of the other strait. Goodwin 250 verba προσῆγον μὲν... reddit: the Persians brought their west wing up to Salamis so as to encircle it or: by a circouitous movement. Leake 197 „um Salamis zu umstellen". Loeschke totum locum silentio praeteriit, quasi dubium non esset, quin versibus Aeschyleis non obstaret. Qui omnes refelluntur c. 85, ubi dilucide expressum est, cum manus conserentur, aciem Persarum intra fretum collocatam fuisse et a Piraeo Eleusina versus versisse.

Crederes illos hoc testimonio edoctos sententiam mutavisse. At Loeschke scriptorem corrigere quam intellegere maluit; pro τὸ πρὸς Ἐλευσῖνος iubet ponere τὸ πρὸς Σαλαμῖνος; Goodwin refutationem eo vitat, quod contendit interim a Persis ordinem mutatum esse. 255 the graphic word stream (ῥεῦμα) used by Aeschylus shows that they entered in a column rather than in an extendet line, probably in the intention of facing about and forming an new line of battle . . . the right wing, where the Phoenicians were placed, would naturally lead the way. Talia artificia non satis possumus reprehendere.

Jam si Herodoti rationem historicam arte et consuetudine nostrorum scriptorum metimur, mirum quantum debemus obstupescere, cum cognovimus non solum apud eum inveniri, quae a veritate absint, sed nonnulla etiam hoc loco commemorari, quae sibi ipsa aperte contradicant. Primum enim apparet ea, quae de adventu Aristidis referuntur, aliam praebere speciem et cum narratione Aeschylea facere. Nam si iam tum barbari in freto fuissent, cum naves promoverentur, fieri non potuit, ut Graeci quid factum esset ignorarent, donec ab Aristide Teniisque certiores fierent (Goodwin 241. 3. Loeschke 26). Simul ea fabula, si non inconsiderate atque inepte est conficta, confirmatur partem navium ad exitum Megaricum missam esse. Nam cum per eas quidem naves, quae prope Psyttaleam locatae fuerant, verisimile sit Aristidem iter fecisse: ab altera quoque parte fugiendi copiam ademptam esse ille vix potuit colligere atque contendere, nisi circumvehentes in itinere conspexisset (Stein. Duncker). Sed hoc argumento non multum demonstrari concedo.

Narrationi Herodoteae ea quoque contradicunt, quae c. 83 proferuntur: Oriente aurora contionem esse habitam, ubi cum egregie locutus Themistocles militibus animos addidisset, universos naves conscendisse. Temeritatis culpam sibi contraxissent, nisi longius hostes afuissent, quam ab Herodoto traditur. Nam quae occasio aggrediendi opportunior se offerre

Nam docere supra conati sumus apud Aechylum Persas ante proelium angustias; non ingressos esse ceterum a nobis demonstratum est ipsum Herodotum ab ea sententia abesse, cui Busolt Aeschylum conciliare voluit.

Quamquam regem ostium Megaricum missis circum insulam navibus occupavisse magis ratione atque argumentis, quam poetae testimonio comprobatur. Maxime enim Xerxem id egisse comperimus, ut inopinatos opprimeret adversarios, ne ubi ipsum appropinquantem animadvertissent, terga darent atque sese e periculis eriperent. Qua de causa quamvis a Sicino certior factus esset illos in amino habere prima nocte effugere, commoratus est dum dies praeteriisset. Adeo autem iis locis mare coartatur, ut praetervehentes intra fretum si non conspici at certe audiri sit necesse: quod a peritis eius regionis affirmatum est (Goodwin 242: within hearing distance). Qua re coactus est ab occidente insulam circumvehi atque naves de nocte solvere, ne a custodiis sine dubio dispositis prospicerentur. Consentiunt cum nobis Loeschke 30, Goodwin 248, cf. Diodorus 11, 18.

Quoniam nobis proposuimus, ut quaecunque a viris doctis de hac quaestione disputata sint examinemus, non alienum erit hoc loco eos commemorare, qui cum recte quid Aeschylus narret cognovissent, eundem sensum e narratione Herodotea elicere studuerunt. Thirwall locum Herodoteum ita vertit 305: one line stretched from Cynosura, the eastern promontory cf the island, to the Attic post of Munychia; another from Ceos, probably the western cape of Salamis, round the mouth of the other strait. Goodwin 250 verba προσῆγον μὲν... reddit: the Persians brought their west wing up to Salamis so as to encircle it or: by a circouitous movement. Leake 197 „um Salamis zu umstellen". Loeschke totum locum silentio praeteriit, quasi dubium non esset, quin versibus Aeschyleis non obstaret. Qui omnes refelluntur c. 85, ubi dilucide expressum est, cum manus conserentur, aciem Persarum intra fretum collocatam fuisse et a Piraeo Eleusina versus versisse.

Crederes illos hoc testimonio edoctos sententiam mutavisse. At Loeschke scriptorem corrigere quam intellegere maluit; pro τὸ πρὸς Ἐλευσῖνος iubet ponere τὸ πρὸς Σαλαμῖνος; Goodwin refutationem eo vitat, quod contendit interim a Persis ordinem mutatum esse. 255 the graphic word stream (ῥεῦμα) used by Aeschylus shows that they entered in a column rather than in an extendet line, probably in the intention of facing about and forming an new line of battle . . . the right wing, where the Phoenicians were placed, would naturally lead the way. Talia artificia non satis possumus reprehendere.

Jam si Herodoti rationem historicam arte et consuetudine nostrorum scriptorum metimur, mirum quantum debemus obstupescere, cum cognovimus non solum apud eum inveniri, quae a veritate absint, sed nonnulla etiam hoc loco commemorari, quae sibi ipsa aperte contradicant. Primum enim apparet ea, quae de adventu Aristidis referuntur, aliam praebere speciem et cum narratione Aeschylea facere. Nam si iam tum barbari in freto fuissent, cum naves promoverentur, fieri non potuit, ut Graeci quid factum esset ignorarent, donec ab Aristide Teniisque certiores fierent (Goodwin 241. 3. Loeschke 26). Simul ea fabula, si non inconsiderate atque inepte est conficta, confirmatur partem navium ad exitum Megaricum missam esse. Nam cum per eas quidem naves, quae prope Psyttaleam locatae fuerant, verisimile sit Aristidem iter fecisse: ab altera quoque parte fugiendi copiam ademptam esse ille vix potuit colligere atque contendere, nisi circumvehentes in itinere conspexisset (Stein. Duncker). Sed hoc argumento non multum demonstrari concedo.

Narrationi Herodoteae ea quoque contradicunt, quae c. 83 proferuntur: Oriente aurora contionem esse habitam, ubi cum egregie locutus Themistocles militibus animos addidisset, universos naves conscendisse. Temeritatis culpam sibi contraxissent, nisi longius hostes afuissent, quam ab Herodoto traditur. Nam quae occasio aggrediendi opportunior se offerre

potuit, quam cum naves a defensoribus liberae fuissent? (Goodwin 231. Xen. Hell. 1. 2. 27).

Quamquam negari non potest eas quas contulimus fabulas illis repugnare, quae in obscurissimo illo loco Herodoteo inesse supra contendimus, tamen non debemus adduci, ut dubitemus an recte interpretati simus. Immo ex his quoque exemplis disci oportet Herodotum non fas existimasse neglegere atque praetermittere, quae a fidis auctoribus narrata erant, atque in componendis fabulis fidem pluris fecisse quam congruentiam atque concinnitatem. Simul illud sumus assecuti, ut testimoniis comprobatum sit, re vera esse gesta quae e versibus Aeschyleis colligenda nobis videbantur. Quamquam Duncker (281 contra Loeschkium) negat latitudinem freti suffecisse ad tantam multitudinem navium capiendam, etiamsi triplex acies ante ostium fuisset instructa. Sit sane verum non plus trecentas naves ibi collocari potuisse (Goodwin 254), nondum sequitur, ut Herodotus vera rettulerit; multo est verisimilius barbaros minorem numerum navium longarum secum habuisse, quam fama nuntiabat (1207 vel 1000); nam si numero navium adeo socios superavissent, fieri non potuit, ut inferiores discederent. Deinde non est obliviscendum non omnes naves in acie fuisse, partem ostium Megaricum custodivisse, partem insulam circumstetisse.

Compluribus aliis argumentis viri docti demonstrare studuerunt, quo loco a Persis acies constituta et proelium commissum esset; quae meo iudicio non multum valent. Sunt qui existiment, Psyttaleam insulam a Persis propterea praesidio munitam esse, quod putavissent futurum esse ut illis locis acerrime pugnaretur. At etiamsi Persae intra fretum pugnaturi erant, ea insula periclitantibus refugio esse poterat. (Loeschke 26, Goodwin 241, Busolt, Jahrb. 1887. 42). Plus colligendum esset ex eo, quod tropaeum in ea insula victores statuerunt, si certo sciremus, illo non solum terrestrem (Herod. 8. 95. Aeschyl. Pers. 445) sed etiam navalem victoriam celebratam esse. Plut. Arist. 9 ὁ γὰρ πλεῖστος ὠθισμὸς τῶν νεῶν καὶ τῆς

μάχης τὸ καρτερώτατον ἔοικε περὶ τὸν τόπον ἐκεῖνον γενέσθαι · διὸ καὶ τρόπαιον (non τὸ τρόπαιον dicit) ἕστηκεν ἐν τῇ Ψυτταλείᾳ.

Secundum litus insulae classem Graecorum fuisse, cum manus consererentur, Busolt ex eo conclusit, quod Graeci mersis navibus Salamina transnavissent c. 89 (Jahrb. 1887. 42). At quo tandem se converterent, cum reliqua circa loca in potestate hostium fuissent?

Idem vir doctus existimat, quod Aeginetae in insidiis ante ostium collocati navibus hostium Phalerum fugientibus magna detrimenta intulissent, facillime declarari si statueretur eos acie secundum litus insulae instructa cornu dexterum tenuisse. Sed eo etiam pervenire poterant, si per aciem Persarum perrupissent, etiamsi ita initio locati fuerant, ut Diodorus narravit. (Herod. 91.) Sed non repugnem, si quis sententiam Busoltii praeferat; nondum inde efficiatur verum esse quod iis fabulis subsit; hoc tantum ostendatur aetate Herodoti plures in errore versatos fuisse. Nullam denique vim persuadendi testimonia eorum auctorum habent, qui compluribus saeculis post bella Persica fuerunt. Neque enim scimus ubi templum illud Herculis, prope quod Xerxem sedisse Phanodemus tradidit, situm fuerit aut illa Κέρατα Acestodori (Loeschke 26. Plut. Ar. 13), neque si sciremus magna illorum fides atque auctoritas esset.

Quoniam apparere videtur, quantum Aeschylus ab Herodoto recedat, superest ut quaeramus, quid de ea differentia iudicandum et quomodo exorta sit. Vix credibile est aetate Herodoti rerum gestarum memoriam adeo evanuisse, ut ipsis Athenis scriptori plane falsa traderentur. Sed quamquam Herodotus atque Aeschylus, quod ad inclusionem quidem attinet, vehementer dissentiunt, tamen est ubi congruunt. Consentiunt autem in eo, quod apud utrumque fraude Themistoclis effectum est, ut socii circumvenirentur; discrepant in eo, quod apud Herodotum iam antequam naves promoverentur, Persae intra angustias versantur, apud Aeschylum Phaleri

commorantur. Ex ea differentia ut ex radice ceterae eius generis discrepantiae ortae sunt, velut quod alia ratione apud Aeschylum, alia apud Herodotum circumveniuntur et quod de acie diversa traduntur. In universum hoc uno plus habet Herodotus quam Aeschylus, quod Xerxem ultro pugnandi causa angustias ingressum facit. Sed unde hoc quod ab Aeschylo alienum est sumpsit, quis finxit, qua de causa? Videamus igitur, qualis ea narratio sit, cui quod Herodotus solus habet, insertum est. — In antecedentibus autem commemoratur post classem Phalerum advectam concilium a Xerxe habitum esse, in quo decretum esse, ut proelio navali confligeretur. Deinceps haec scripta sunt; c. 70 ἐπεὶ δὲ παρήγγελλον ἀναπλώειν, ἀνῆγον τὰς νέας ἐπὶ τὴν Σαλαμῖνα καὶ παρεκρίθησαν διαταχθέντες κατ᾽ ἡσυχίην. Quae verba artissimo vinculo cum praecedentibus connexa esse apparet. Illa enim desiderantur, ut haec declarentur; quod antea decreverant, illo momento temporis exsequuntur. Quam ob rem cum dubium non sit, quin antecedentia Herodotus Halicarnassi audierit, sequitur ut haec quoque ex eodem fonte fluxerint. Nam in qua urbe auctor ille Herodoti natus fuerit, cognoscitur maxime e verbis his: c 69 κάρτα τε ἥσθη τῇ γνώμῃ τῆς Ἀρτεμισίης (Xerxes) καὶ νομίζων ἔτι πρότερον σπουδαίην εἶναι τότε πολλῷ μᾶλλον αἴνεε. Quem nisi civem Halicarnassensem intererat reginam his laudibus efferre aut talem narrationem evulgare? Post hunc locum statim fabula Halicarnassensis abrumpitur atque incipit narratio Atheniensis de certamine sociorum et de adventu Aristidis. Jam cum constet Herodotum Halicarnassi audivisse Xerxem habito concilio in fretum Salaminium invectum esse ibique aciem constituisse, Athenis contra illum admonitione Themistoclis allata socios inclusisse: verisimillimum est ex his narrationibus historiam Herodoteam compositam esse et consutam. Simplicissime nos ea ratione ex omnibus difficultatibus expedimus: quoniam negari non potest differentiam quandam inter utrumque auctorem intercedere, intellegitur quomodo nata sit. Cum sententia nostra congruit, quod ceterae narrationes

Athenienses, quae ab Herodoto proferuntur, cum Aeschylo Atheniensi faciunt.

Potest alicui mirum esse, quod Persae illo die aciem instruxisse dicuntur, pugnasse non item, praesertim cum tam levidensis explicatio adiciatur (τότε μέν νυν οὐκ ἐξέχρησέ σφι ἡ ἡμέρη ναυμαχίην ποιήσασθαι· νὺξ γὰρ ἐπεγένετο). Nam si iam multum diei processerat, cur non in portu potius classem retinuerunt atque diem posterum exspectaverunt? Quam ob rem veri non est dissimile exitum fabulae apud auctorem Halicarnassensem alium fuisse atque apud Herodotum et traditum fuisse acie instructa statim pugnari coeptum esse.

Sed quamquam nemo nostrum dubitaverit fabulam Halicarnassensem ut falsam reicere, tamen Herodotus, quod aliam rationem inierit, non ita damnandus est. Nam cum non ignoraverit, quam incerta fides fabularum sit, suspicio ei subnasci poterat, ne Athenienses cum aliter narrarent atque populares sui, falsam sibi gloriam acquirere studerent. Augebatur sane laus Themistoclis ipsorumque si illius dolo rex inductus videbatur, ut proeliandi initium faceret.

Accedit quod ipsa quoque ea, quae Halicarnassi tradebantur, flagitabant ut sibi fides adiungeretur: quamobrem cum meminisset, quam facile memoria rerum gestarum excideret neque credibile iudicaret, ex nihilo fabulas oriri: aliquid certe veri in utraque narratione inesse existimabat et proxime se ad veritatem accessurum esse censuit, si quoad fieri posset, utrisque satisfaceret.

Argumentum autem fabulae Aeschyleae, ex qua nonnullas sententias ad verbum exscripsit (Wecklein p. 249), eum neglexisse vidimus sive quia obscurius erat et magis dilucida se offerebant, sive quia poetis uti noluit, qui ne ipsi quidem veritatem promitterent.

Quomodo factum sit, ut Athenienses post Aeschylum narrarent Themistoclem non tam regem quam socios fraude petivisse, in medio relinquo; hoc unum proferam, inde mea

commorantur. Ex ea differentia ut ex radice ceterae eius generis discrepantiae ortae sunt, velut quod alia ratione apud Aeschylum, alia apud Herodotum circumveniuntur et quod de acie diversa traduntur. In universum hoc uno plus habet Herodotus quam Aeschylus, quod Xerxem ultro pugnandi causa angustias ingressum facit. Sed unde hoc quod ab Aeschylo alienum est sumpsit, quis finxit, qua de causa? Videamus igitur, qualis ea narratio sit, cui quod Herodotus solus habet, insertum est. — In antecedentibus autem commemoratur post classem Phalerum advectam concilium a Xerxe habitum esse, in quo decretum esse, ut proelio navali confligeretur. Deinceps haec scripta sunt: c. 70 ἐπεὶ δὲ παρήγγελλον ἀναπλώειν, ἀνῆγον τὰς νέας ἐπὶ τὴν Σαλαμῖνα καὶ παρεκρίθησαν διαταχθέντες κατ᾽ ἡσυχίην. Quae verba artissimo vinculo cum praecedentibus connexa esse apparet. Illa enim desiderantur, ut haec declarentur: quod antea decreverant, illo momento temporis exsequuntur. Quam ob rem cum dubium non sit, quin antecedentia Herodotus Halicarnassi audierit, sequitur ut haec quoque ex eodem fonte fluxerint. Nam in qua urbe auctor ille Herodoti natus fuerit, cognoscitur maxime e verbis his: c 69 κάρτα τε ἥσθη τῇ γνώμῃ τῆς Ἀρτεμισίης (Xerxes) καὶ νομίζων ἔτι πρότερον σπουδαίην εἶναι τότε πολλῷ μᾶλλον αἴνεε. Quem nisi civem Halicarnassensem intererat reginam his laudibus efferre aut talem narrationem evulgare? Post hunc locum statim fabula Halicarnassensis abrumpitur atque incipit narratio Atheniensis de certamine sociorum et de adventu Aristidis. Jam cum constet Herodotum Halicarnassi audivisse Xerxem habito concilio in fretum Salaminium invectum esse ibique aciem constituisse, Athenis contra illum admonitione Themistoclis allata socios inclusisse: verisimillimum est ex his narrationibus historiam Herodoteam compositam esse et consutam. Simplicissime nos ea ratione ex omnibus difficultatibus expedimus: quoniam negari non potest differentiam quandam inter utrumque auctorem intercedere, intellegitur quomodo nata sit. Cum sententia nostra congruit, quod ceterae narrationes

Athenienses, quae ab Herodoto proferuntur, cum Aeschylo Atheniensi faciunt.

Potest alicui mirum esse, quod Persae illo die aciem instruxisse dicuntur, pugnasse non item, praesertim cum tam levidensis explicatio adiciatur (τότε μέν νυν οὐκ ἐξέχρησέ σφι ἡ ἡμέρη ναυμαχίην ποιήσασθαι· νὺξ γὰρ ἐπεγένετο). Nam si iam multum diei processerat, cur non in portu potius classem retinuerunt atque diem posterum exspectaverunt? Quam ob rem veri non est dissimile exitum fabulae apud auctorem Halicarnassensem alium fuisse atque apud Herodotum et traditum fuisse acie instructa statim pugnari coeptum esse.

Sed quamquam nemo nostrum dubitaverit fabulam Halicarnassensem ut falsam reicere, tamen Herodotus, quod aliam rationem inierit, non ita damnandus est. Nam cum non ignoraverit, quam incerta fides fabularum sit, suspicio ei subnasci poterat, ne Athenienses cum aliter narrarent atque populares sui, falsam sibi gloriam acquirere studerent. Augebatur sane laus Themistoclis ipsorumque si illius dolo rex inductus videbatur, ut proeliandi initium faceret.

Accedit quod ipsa quoque ea, quae Halicarnassi tradebantur, flagitabant ut sibi fides adiungeretur; quamobrem cum meminisset, quam facile memoria rerum gestarum excideret neque credibile iudicaret, ex nihilo fabulas oriri: aliquid certe veri in utraque narratione inesse existimabat et proxime se ad veritatem accessurum esse censuit, si quoad fieri posset, utrisque satisfaceret.

Argumentum autem fabulae Aeschyleae, ex qua nonnullas sententias ad verbum exscripsit (Wecklein p. 249), eum neglexisse vidimus sive quia obscurius erat et magis dilucida se offerebant, sive quia poetis uti noluit, qui ne ipsi quidem veritatem promitterent.

Quomodo factum sit, ut Athenienses post Aeschylum narrarent Themistoclem non tam regem quam socios fraude petivisse, in medio relinquo; hoc unum proferam, inde mea

sententia natum esse, quod ineunte demum nocte et concilium convocatum sit et Sicinus ad regem transierit. Nam si invitis atque insciis sociis cum Xerxe acturus erat, melius de nocte latere poterat.

De Aristide. Non recte denique viri docti iis usi sunt, quae de barbaris Psyttaleae trucidatis referuntur. Herodotus enim narrat Aristidem inter medium pugnae tumultum milites Athenienses eo traiecisse (c. 95 ἐν τῷ θορύβῳ τούτῳ); quod verisimile non est. Ubi enim naves suppetebant ad illos imponendos, et quibus sospites per aciem et hostes veherentur? Omnes in se numeros veritatis habet, quod Aeschylus rettulit versibus his:

v. 452 . . . . . . ὡς γὰρ θεὸς
ναῶν ἔδωκε κῦδος Ἕλλησιν μάχης,
αὐθημερὸν φάρξαντες εὐχάλκοις δέμας
ὅπλοισι ναῶν ἐξέθρωσκον· ἀμφὶ δὲ
κυκλοῦντο πᾶσαν νῆσον·

Quae post victoriam reportatam gesta esse magis e voce αὐθημερὸν quam e versu antecedente colligitur; praeterea non est neglegendum, quod poeta insulam a Graecis non ab Atheniensibus circumdatam dicit: nam si hoc facinus Athenienses edidissent mea sententia non dubitavisset illos celebrare; velut paullo ante silentio non praeteriit, regem ab homine Atheniensi deceptum esse. Maioris momenti est, quod si statim fugato hoste e navibus exsiluerunt, credibile non est Athenienses solos rem gessisse, neque tam Aristidem fuisse ducem quam Themistoclem atque Eurybiadem. Aeschylum e viris doctis Grote solus sequitur.

III.
De pugna Plataeensi.

In ea quoque parte historiarum, qua pugna Plataeensis describitur, plures reperiuntur differentiae, quae cum inter se coniungi atque tolli nequeant, ad diversos auctores necessario

sint referendae. Sed antequam discrepantias ipsas indagemus atque percenseamus, paucis quid apud Herodotum narratum sit, adumbrasse utile erit.

Ex Attica profectus Mardonius in finibus Thebanorum constiterat et iuxta Asopum fluvium castra posuerat, quae ab Erythris atque Hysiis usque in agrum Plataeensem vergebant (9, 15). Quem exadversus sub radicibus Cithaeronis montis Pausanias aciem instruxit, ut natura loci ab incursionibus equitum barbarorum defenderetur atque muniretur. Sed Megarenses, qui maxime iis obiecti erant, cum continuo sagittis hostium vexarentur, postremo ab illo postulaverunt, ut alios in suam stationem substitueret; si minus, se aciem deserturos esse minitati sunt. Abnuentibus reliquis Athenienses ultro sese obtulerunt et voluntarios ibi collocaverunt trecentos milites selectos, quibus Olympiodorus, Lamponis filius, praeerat. Quibus contigit, ut Masistio duce occiso equites ab impetu desistere cogerent. Deinde (μετὰ δὲ) Pausaniae visum est in agrum Plataeensem descendere, quae regio ad aquationem opportunior fuisset. Ibi in constituenda acie altercatio inter Athenienses atque Megarenses oborta est utrisque cornui sinistro praeesse cupientibus; poscente autem universo Lacedaemoniorum exercitu honos Atheniensibus est concessus. Postridie eius diei sacris utrimque de proelio factis felicem victimae eventum iis promiserunt, qui sese defenderent atque ab impetu abstinerent. Quo factum est, ut utrique se in castris continerent, praeterquam quod equites cotidie instabant atque Graecos inquietabant Qui cum nono die auctore Timagenide Thebano exitus faucium Cithaeronis custodirent, factum est ut magnum agmen iumentorum e Peloponneso cibaria in castra Graecorum advehentium caperent.

Undecimo denique die plurimis in dies Graecorum e Peloponneso accurrentibus, aegerime moram ferens Mardonius cunctandi finem facere constituit et quamvis dissuadente Artabano edixit, ut omnia ad pugnam prima luce postridie faciendam expedirentur (ille autem suaserat, ut toto exercitu in

murum Thebanorum proficisceretur, ubi multum frumenti advectum haberent). Quod consilium Alexander, rex Macedonum equo ad custodias Atheniensium advectus detulit, ne ex improviso Graeci, populares sui, a barbaris opprimerentur; simul illud adhortatus ne animo deficerent, si impetus differretur: paucorum enim dierum frumentum Mardonio suppeditare. At Pausanias, allato nuntio, adeo est perterritus, ut non auderet in statione manere et impetum Persarum, contra ipsum collocatorum, sustinere peteretque ab Atheniensibus, ut mutato ordine in suum cornu transirent. Sed cum illucescente aurora Mardonius a Thebanis admonitus exemplum Spartanorum imitaretur, ille mutata iterum acie cum exercitu suo ad cornu dexterum rediit. Qua timiditate erectus Mardonius praeconem misit, qui multis in eos conviciis congestis, quod aciem deseruissent, Spartanos ad certamen pro universo exercitu cum Persis solis ineundum provocavit. At ubi re infecta est dimissus, elatus atque incitatus dux Persarum totum equitatum in Graecos immisit, multisque aliis malis adversarios affecit et Gargaphiam fontem, unde omnis exercitus Graecorum aquam haurire solebat, turbavit atque obstruxit. In tanta necessitate duces Graecorum ad Pausaniam venerunt factaque contione constitutum est, ut si illo die hostes proelium non committerent, altera vigilia ad Insulam castra transferrentur, qui locus decem stadia a Gargaphia aberat. Quo ubi pervenissent, eadem nocte dimidiam partem copiarum ad Cithaeronem mittere placuit ad iumenta recipienda, quae commeatum advectura erant. Itaque ut dies defecit aderatque hora, qua abire inter eos convenerat, plerique discesserunt non tamen ad Insulam contendere in animo habentes, sed libenter ad templum Iunonis fugientes, quod viginti stadiis a fonte distabat. Pausanias vero ut eos castra moventes vidit, ratus illos in eam regionem proficisci, de qua convenisset, suos quoque arma capere et discedere iussit. Tum reliqui omnes ordinum ductores oboedire parati erant: at Amompharetus, dux manipuli Pitanatarum, negavit se peregrinos fugiturum esse: superiori enim colloquio

non interfuerat. Ipsi quoque Athenienses immoti manserunt. ubi locati erant, et simulatque exercitus retro se movere coepit, equitem ad Pausaniam miserunt spectatum, num Lacedaemonii quoque castra movissent et quaesitum, quid sibi in tali tempore faciendum esset. Quo superveniente Amompharetus saxum ambabus manibus sublatum ante pedes Pausaniae posuit exclamans: Hoc ego fero suffragium, nos peregrinos fugere non debere. Athenienses autem Pausanias rogavit, ut ad se venirent atque facerent, quod ipsum agentem vidissent.

Iam nox certamine absumpta erat, cum relicto Amomphareto Pausanias Lacedaemonios atque Tegeatas abduxit, ratus illum quoque secuturum, si se destitutum cognovisset; sed cum ipse per clivos timore equitatus adductus iter faceret, Athenienses per planitiem via compendiaria incesserunt.*) Pausanias autem postquam decem fere stadia progressus est, prope templum Cereris constitit, quoad Amompharetus a se impetravit, ut ad reliquum agmen se conferret; et vixdum ille aderat, cum subito more suo equites agressi sunt.

Mardonius autem nuntiato Graecos ex acie fugisse primum cum Aleuadis collocutus Spartanos illusit atque conviciatus est, deinde in eos ut in fugitivos signo dato exercitum Persarum duxit (Athenienses enim obstantibus collibus non viderat), et cursim nullo ordine ceterae gentes barbarae sequebantur. At Pausanias ubi primum equites institerunt,

---

*) Silentio scriptor praeteriit Athenienses sicut mandatum fuerat, ad Pausaniam et fontem Gargaphiam accessisse. Unde viri docti concluserunt, illum consilio repente mutato sine Atheniensibus retro iisse eosque hostibus prodidisse; illos autem primum ad Gargaphiam profectos esse, deinde ultro ad Insulam se recepisse. cf. Stein ad 9. 56 et 9. 59. Duncker 346/7, Busolt 203. (Herod 9. 55 Ἀθηναῖοι δὲ ταχθέντες ἤισαν τὰ ἔμπαλιν ἢ Λακεδαιμόνιοι; recte Stein: von der Verschiedenheit des Terrains). At nihil tale apud Herodotum commemoratum est: sed cum supra rettulerit ineunte vigilia altera illos a Pausania imperium accepisse atque paullo post narretur oriente demum aurora Amompharetum relictum esse, Herodotus sane sperare debebat, fore ut quod commemorare supersedisset a legentibns suppleretur.

Athenienses auxilio advocavit, quoniam reliqui socii proxima nocte fugissent et communem libertatem prodidissent. Iamque illi iter ingressi erant, ut auxilium ferrent, cum et ipsi a Thebanis ceterisque Graecis, qui quidem a barbaris steterunt, impetu petiti sunt. Itaque Lacedaemonii et Tegeatae, cum nemo succurreret, sacra fecerunt quippe cum Mardonio exercituque eius conflicturi; et initio quidem perlitare non potuerunt, cum interim multi sagittis hostium, qui clipeos munimentorum loco congesserant, icti vulnerabantur. Tandem cum propitia Iunone laetae fierent victimae atque se in Persas Spartani conicerent, acerrime primum circa munimenta pugnatum est, quibus obrutis diutius circa templum Cereris dimicaverunt, dum res ad manus venit et adversarii, qui armorum praesidio carebant, facile fugati sunt

De acie Graeca. Enarrato argumento singulae differentiae considerandae sunt. Ac primum quidem cum inter Asopum et Cithaeronem Persae castra habuisse videantur, si fabulae de Masistio fides habetur, in posterioribus diserte traditur Asopum inter utramque aciem fluxisse; quamquam nusquam commemoratur barbaros flumen traiecisse (Stein ad 31. 3. Hdt. 9. 15 παρῆκε δὲ αὐτοῦ τὸ στρατόπεδον ἀρξάμενον ἀπ' Ἐρυθρέων παρ' Ὑσιάς, κατέτεινε δὲ ἐς τὴν Πλαταιίδα γῆν παρὰ τὸν Ἀσωπὸν ποταμὸν τεταγμένον; Sed. Grote 495 in the plain on the left bank of the Asôpus. Unde suspicio oritur, an non utramque historiam Herodotus e diversis auctoribus audierit: ad quam opinionem alia insuper via adducimur. Nam is qui de certamine inter Tegeatas et Athenienses aborto rettulit, qui sacra de proelio facta commemoravit, mea quidem sententia arbitratus est, tum cum illa gererentur, primam aciem constitutam fuisse; nam si compertum habuisset ante id tempus apud Erythras aciem priorem instructam fuisse, probabile videtur, eum iam illo loco relaturum fuisse, quod paullo post ab Herodoto commemoratur (c 19 ἀντετάσσοντο ἐπὶ τῆς ὑπωρέης τοῦ Κιθαιρῶνος. 20 κατὰ συντυχίην Μεγαρέες ἔτυχον τεταγμένοι τῇ τὸ ἐπιμαχώτατον ἦν τοῦ χωρίου παντός). Quod si

statuere licet, non solum declaratur, quomodo discrepantia nata sit, quam supra significavimus, sed illud quoque perspicitur, cur non accuratius definitum sit, quo tempore et qua de causa Graeci ad Gargaphiam descenderint. c. 25 μετὰ δὲ ἔδοξέ σφι ἐπικαταβῆναι ἐς Πλαταιάς· ὁ γὰρ χῶρος ἐφαίνετο πολλῷ ἐὼν ἐπιτηδεώτερός σφι ἐνστρατοπεδεύεσθαι ὁ Πλαταιικὸς τοῦ Ἐρυθραίου τά τε ἄλλα καὶ εὐυδρώτερος.

De impetu equitum Persarum. Deinde in eo debemus haerere, quod quamquam Mardonius decrevisse traditur, ut oriente sole proelium committeretur, tamen paullo post audimus, nihil eo die actum esse, quod pugnae simile fuerit. c. 51 ἢν ὑπερβάλωνται ἐκείνην τὴν ἡμέρην οἱ Πέρσαι συμβολὴν μὴ ποιεύμενοι, ἐς τὴν νῆσον ἰέναι. Latius etiam haec discrepantia patet; nam cum identidem (40. 55) commemoretur socios ab equitatu cotidie vexatos esse, illis incursionibus, quae duodecimo die factae sunt, maior quaedam vis attribuitur. Nam eo maxime est effectum, ut ad insulam recedere constitueretur, ut Corinthii ceterique in media acie positi ultro ad Iunonis templum refugerent c. 51 ἐς τοῦτον δὴ τὸν χῶρον ἐβουλεύσαντο μεταναστῆναι, ἵνα καὶ ὕδατι ἔχωσι χρᾶσθαί ἀφθόνῳ καὶ οἱ ἱππέες σφέας μὴ σινοίατο, ὥςπερ κατιθὺ ἐόντων· c. 52 οἱ δὲ ὡς ἐκινήθησαν ἔφυγον ἄσμενοι τὴν ἵππον. Attamen per decem dies incursiones illorum sustinuisse dicuntur. Sed cum additum sit, illo die Mardonium equites in adversarios immisisse, quod ignavia Spartanorum incitatus fuisset: si nihil contra esset allatum, existimaremus Mardonium eo quod aggrederetur, promisso proximo die dato satisfacere voluisse et tum primum, ex quo victimae impetum facere vetuissent, Graecos esse vexatos. Quae cum ita sint, sequi videtur, ut ab alio auctore sumpta sint, quae ab ea rerum condicione aliena sunt; ac profecto alterum genus narrationis Atheniensibus, alterum Spartanis auctoribus reddendum esse infra demonstrabitur.*)

*) Historici nostri originem magis discrepantiae obtegunt, quam difficultatem tollunt. Grote: In spite of what Mardonius is said to have determined, he passed the whole day withut any general attack.;

De fuga Graecorum. Venimus ad eum locum, qui maxime discrepantiis est refertus; ubi narratur hora constituta omnes praeter Lacedaemonios, Tegeatas, Athenienses castris motis usque ad Iunonis templum perculsos timore equitatus refugisse. 52 ὡς δὲ ἥ τε ἡμέρη ἔληγε καὶ οἱ ἱππέες ἐπέπαυντο, νυκτός τε γενομένης καὶ ἐούσης τῆς ὥρης, ἐς τὴν δὴ συνεκέετό σφι ἀπαλλάσσεσθαι, ἐνθαῦτα ἀερθέντες οἱ πολλοὶ ἀπαλλάσσοντο, ἐς μὲν τὸν χῶρον, ἐς τὸν συνεκέετο, οὐκ ἐν νόῳ ἔχοντες, οἱ δὲ ὡς ἐκινήθησαν ἔφευγον ἄσμενοι τὴν ἵππον πρὸς τὴν Πλαταιέων πόλιν, φεύγοντες δὲ ἀπικνέονται ἐπὶ τὸ Ἡραῖον. Quo facto et ipsum Pausaniam, opinatum eos ad Insulam se convertere, milites suos retro duxisse. Sed postea cum pressus ab equitibus auxilium ab Atheniensibus peteret, professus est se a reliquis sociis desertum esse. Qua causa praeterea commotus Athenienses adhortatus esse videtur, ut ad agmen suum accederent, quasi nulla iam eorum ratio habenda esset, qui mediam aciem obtinuissent (Stein 54. 15, um die durch die Flucht des Centrums gerissene Lücke auf ihrer linken Seite auszufüllen. Busolt 203). Unde subito advolavit ille nuntius Corinthios reliquosque non in Insula consistere animum induxisse, sed eadem via ad templum Iunonis pergere constituisse? Neque vero minus est mirabile, quod Athenienses neglecto communi decreto in statione remanserunt: nam quod Herodotus excusationis loco adicit, illos dubitavisse, num Lacedaemonii rediissent, inane est. Qui tandem timendum erat, ne ab omnibus deserti Lacedaemonii impetum universorum hostium sustinere mallent, praesertim cum et ipsi conventui interfuissent et fugiendi consilum probavissent (Delbrueck 111)? Quod Athenienses et ipsi manserunt et equitem ad Pausaniam miserunt, non potest intellegi, nisi ponitur auctorem Herodoti credidisse ultro reliquos nullo iubente aut constituente refugisse.

Duncker 344: Falls die Perser an diesem Tage keinen Hauptangriff machten Sed Delbrueck, Perser- und Burgunderkriege 111 apte monuit equites obstruendo fonte tempus absumpturos non fuisse, si acie illo die dux confligere constituisset.

Nam si hora constituta illi se receperunt et si verum est nihil suspicionis Spartanis subortum fuisse, non est verisimile Athenienses solos quid illi agerent, perspexisse. Ipse Amompharetus nulla alia de causa redire noluisse traditur, quam ‚quod concilio non interfuerit'. Maxime autem est mirum, quod media acies ultra Insulam refugit, quamquam in priore concilio regio illa ob eam causam electa erat, quod ibi se tutos fore ab equitatu crediderunt (ἵνα οἱ ἱππέες σφέας μὴ σινοίατο).

Quas offensiones cum ferre non possent, historici nostri aut supplendo aut mutando narrationi succurrere studuerunt. Sunt qui scripserint Athenienses exemplum eorum, qui in media acie locati fuissent, propterea non secutos esse vel quod illi tumultuosius incessissent vel quod Lacedaemonios cunctantes vidissent. Thirwall 344 ponit eos praeconem misisse: to inquire whether they had given up the design of retreating. Stein ad 54. 5: die auffallende Bewegung des Centrums mochte den Argwohn erregt haben. Curtius 93: um abzuwarten, wie die allgemeine Verwirrung sich lösen würde. Busolt 203: der überstürzte Abzug des Centrums und das ebenso auffallende Zögern des rechten Flügels veranlaßte die Athener . . Sed fac illos tumultuosius profectos esse, nondum sequebatur, ut ultra Insulam recedere animum induxissent; qua via ad Insulam, eadem Plataeas iter patebat. Porro qui existimant illos cunctantibus atque morantibus Lacedaemoniis adductos fuisse, obliti videntur, iam noctem affuisse, cum eae res gererentur. Quod Duncker statuit, eo magis a verbis Herodoti abest, quo credibilius est 345: sobald es dunkel geworden war, warf sich das gesammte Centrum ohne Ordnung weichend über eine starke Stunde weit zurück . . . niemand dachte daran, um die zweite Nachtwache, wie es befohlen war, die Waffen aufzunehmen und nach der Insel zu marschieren. Plurimum Plutarchus mutaverat, qui ut omnem differentiam evitaret, sibi finxit hoc unum fuisse decretum, ut retro abirent, non ubi consisterent. Aristid. 16 ἔδοξε πορρωτέρω μεταστρατοπεδεῦσαι. Deinceps

apud eum scriptum est Athenienses initio decreto stare paratos precibus Pausaniae commotos esse, ut in statione remanerent c 17 πρὸς μὲν τοὺς Ἀθηναίους ἔπεμψεν ἀπιόντας ἤδη, περιμεῖναι δεομένους καὶ κοινῇ βαδίζειν. At si ita narratur, non liquet, cur Pausanias non reliquos quoque revocaverit. Ex omnibus difficultatibus nos expedire non poterimus, nisi statuemus Herodotum duas narrationes inter se dissentientes miscuisse; quarum una traditum fuerit omnes praeter Amompharetum statim decreto paruisse, altera mediam aciem ultro refugisse invito atque inscio Pausania. Paullo infra videbimus, ea quae ad decretum referuntur, Lacedaemoniis auctoribus deberi, Atheniensibus contraria.

De periculo Lacedaemoniorum. Difficultates quae in his capitibus deprehenduntur enumerare pergamus. Nam cum se Lacedaemonii atque Athenienses una reciperent, illos radices Cithaeronis montis secutos esse narratur, quo ab equitatu tuti essent, Athenienses infra per planitiem recessisse. Itaque cum et illi montium altitudine tuti sibi viderentur et Corinthii postea eadem ratione servati sint (c. 52), miramur, quod nihilominus ab equitatu pressi dicuntur. Sed difficultates crescunt. Nam quamquam hoc loco scire cupimus, quomodo Athenienses quamvis per planitiem euntes servati sint: tamen non prius scriptor narrat, eos obstantibus collibus obtectos fuisse, quam de impetu copiarum pedestrium mentio fit. Accedit quod ubi commemoratum est Mardonium cum universis peditibus in Lacedaemonios invasisse, subito tenor narrationis interrumpitur atque refertur propter equitatum Pausaniam ab Atheniensibus auxilium postulavisse. Hoc quoque loco Herodotus duas narrationes initio segregatas composuisse atque coniunxisse videtur. Traditum acceperat, non tam equitum, quam peditum impetu Pausaniam in angustias incidisse. Quod immutavit, cum aliunde comperisset, iam antequam Mardonius instaret, Lacedaemonios impetu petitos fuisse atque auxilio eguisse.

Equites deinceps de scaena decedunt longoque demum

intermisso intervallo rursus occurrunt. In describenda autem pugna a Lacedaemoniis cum Persis conserta proelium pedestre depingitur atque ad peditum pugnandi rationem omnia spectant. Quam ob rem cum non commemoretur, qua de causa equites recesserint aut quibuscum interim pugnaverint, apparet non eiusdem auctoris continuam narrationem ab Herodoto proferri: aut igitur diversae fabulae conglutinatae sunt, aut in componenda historia aliqua ex iis, quae tradita fuerant, exciderunt.

Quoniam exposuimus, quae inter se dissentire videantur, superest ut quaeramus, num ea quae sibi repugnent, re vera partim ab auctoribus Lacedaomoniis, partim ab Atheniensibus profecta sint. In eandem quaestionem iam Nitzschius incubuit, qui e studiorum voluntatumque genere in his historiis perspicuo efficere conatus erat Herodotum usque ad initium proelii ab auctoribus Atheniensibus tradita rettulisse, deinceps maxime Lacedaemoniis usum esse; quae quamquam in universum nobis vera videntur, tamen in singulis ab eo dissentimus.

Auctores Lacedaemonii. Ac primum quidem iam a viris doctis cognitum est, eam historiam, qua virtus Amomphareti illustratur atque extolitur, a Lacedaemoniis ab Herodoto acceptam esse. Kirchhoff, Entstehung des herodotischen Geschichtswerkes 4. Duncker 338. Busolt griech. Gesch. 203, 5. Nam e qua urbe auctor fabulae oriundus fuerit, ex eo apparet, quod accurate referre potest Amompharetum et ipsum Pitanatam fuisse et milites duxisse in eo vico Lacedaemonis natos; deinde Euryanacta a Pausania in imperium cooptatum esse. Omnis autem historia in ea verba tanquam in fastigium exit, quae fatigatus denique adhortationibus Pausaniae Amompharetus pronuntiavit: equidem censeo ex acie non esse fugiendum. (νεικέων ὁ Ἀμομφάρετος λαμβάνει πέτρον ἀμφοτέρῃσι τῇσι χερσί, καὶ τιθεὶς πρὸ ποδῶν τῶν Παυσανίεω ταύτῃ τῇ ψήφῳ ψηφίζεσθαι, ἔφη, μὴ φεύγειν τοὺς ξείνους.)

E quibus colligendum est (quod ab Herodoto praetermittitur) illum a Pausania de decreto ab universis ducibus facto admonitum esse: quod deest, iam a Plutarcho suppletum est. Aristid. 17. Quae cum ita sint, primum necesse videtur ponere de concilio iisque quae cum eo connexa sint, a Lacedaemoniis scriptorem certiorem factum esse; velut obrutam esse Gargaphiam, capta iumenta, equitum incursionibus petitos duces sociorum cum Pausania de recessu deliberavisse; deinde decretum esse, ut dimidia pars exercitus ad fauces Cithaeronis custodiendas mitteretur; mediam aciem, ut constitutum fuisset, altera vigilia regressam esse Pausaniamque ipsum sequi voluisse. — Atque eum certe, qui Amomphareti facinus ad scriptorem detulit, de conventu ducum mentionem fecisse, vel eo confirmatur, quod ad pertinaciam viri excusandam additur eum superiori concilio non interfuisse. Omnia autem haec quae adhuc Spartanis adscripsimus, eo consilio dicta esse videntur, ut ignominia a Lacedaemoniis ad reliquos Graecos transferretur, quippe qui non solum effecissent, ut de fuga deliberaretur, sed etiam redeundi initium fecissent. Quo argumento magis etiam comprobatur, quod supra posuimus, haec omnia Herodotum e Lacedaemoniis audivisse. Eodem e fonte fluxisse videtur Pausaniam denique exercitum abduxisse et longiore intervallo intermisso commoratum esse, donec Amompharetus ad suum agmen accessisset: cui artissime est coniunctum, quod deinceps narratur: ubi primum ille ceteris se coniunxisset, equites affuisse: scilicet quo ostenderetur, in quanto periculo fortissimus ille vir versatus esset. Sed quod tunc ipsum equites aggressi sunt, eo confirmatur, quod cotidie Graecos incursionibus lacessere soliti fuerint c. 57. καὶ οἵ τε ἀμφὶ τὸν Ἀμομφάρετον παρεγίνοντό σφι καὶ ἡ ἵππος ἡ τῶν βαρβάρων προςεκέετο πᾶσα· οἱ γαρ ἱππόται ἐποίευν οἷον καὶ ἐώθεσαν ποιέειν αἰεὶ, ἰδόντες δὲ τὸν χῶρον κεινὸν ἐν τῷ ἐτετάχατο οἱ Ἕλληνες τῇσι προτέρῃσι ἡμέρῃσι . . . . Eum igitur et ipsum locum ad Lacedaemonios auctores referre ratio suadet, quo primum equites commemmorati sunt (c 46). Atque illud certe adhuc assecuti

sumus, ut unum genus differentiarum Lacedaemoniis attribuendum esse videatur. — In pugna quoque enarranda, quam Spartani cum Persis commiserunt, ut par erat, iisdem auctoribus usus est; quod insuper confirmatur similitudine eorum, quae de proelio ad Thermopylas facto prolata sunt. 7. 211 οἱ Πέρσαι οὐδὲν πλέον ἐφέροντο ἅτε δούρασι βραχυτέροισι χρώμενοι ἤπερ οἱ Ἕλληνες cf. 9. 62 τὰ γὰρ δούρατα ἐπιλαμβανόμενοι κατέεκλων οἱ βάρβαροι et 9. 63 πλεῖστον γάρ σφεας ἐδηλέετο ἡ ἐσθὴς ἐρῆμος ἐοῦσα ὅπλων, deinde 7. 221 ἐν οὐκ ἐπισταμένοισι μάχεσθαι ἐπιστάμενοι cf. 9. 62 λήματι μέν νυν καὶ ῥώμῃ οὐκ ἕσσονες ἦσαν οἱ Πέρσαι, ἄνοπλοι δὲ ἐόντες καὶ πρὸς ἀνεπιστήμονες ἦσαν καὶ οὐκ ὅμοιοι τοῖσι ἐναντίοισι σοφίην. — maxime 7. 226 Dienecis memorabile dictum et 9. 72 fortissimum illud Callicratis, qui cum Pausanias sacrificaret, sagitta ictus erat.

Auctores Athenienses. Iam nos ad circumscribenda ea vertamus, quae ab Atheniensibus accepta esse videantur; in quorum numerum omnia referre poterimus, quibus falsa Atheniensium gloria captatur, laudibus autem atque meritis reliquorum quam maxime obtrectatur. Ac primum quidem credibile non est Corinthios ceterosque, qui mediam aciem obtinuerunt, a pugna afuisse atque tum demum auxilio accurrisse, cum iam fugatis Persis victoria reportata esset. Quod recte Plutarchus (Aristid. 19) refellit titulum ostendens in ara Jovis Liberatoris inscriptum, quo universi Graeci victores appellarentur. Corinthios autem atque Megarenses fortiter pugnasse Simonides testatur (frg. 84 et 107). Etiamsi testimonia deessent, pro ficto haberemus illos manus conseri non ante animadvertisse, quam hostes repulsi fuissent, quamvis non plus decem stadia afuissent. Non magis verisimile est Megarensibus demum cum post fugatos barbaros in aciem redirent, detrimenta ab equitibus Thebanis illata esse. Quid enim in pugna ipsa equites egerunt, quoniam neque cum Atheniensibus, neque cum Spartanis Tegeatisque manus conseruisse traduntur? Ante omnia equites Thebanos popularibus suis succurrere oportebat atque in Athenienses invadere, qui

propiores erant, quam Corinthii atque Megarenses (Delbrueck 112. 113). — Quam ob rem cum ementita esse videantur, quae de absentia Corinthiorum ceterorumque tradita sunt, verisimillimum est ab Atheniensibus ea mendacia conficta esse, quos maxime in Corinthios maledicta congerere solitos fuisse supra ostendimus (Wecklein 270) cf. 8. 94 ubi et ipsi e pugna Salaminia fugisse dicuntur τούτους μὲν τοιαύτη φάτις ἔχει ὑπ' Ἀθηναίων, οὐ μέντοι αὐτοί γε Κορίνθιοι ὁμολογέουσι ἀλλ' ἐν πρώτοισί σφεας αὐτοὺς τῆς ναυμαχίης νομίζουσι γενέσθαι· μαρτυρέει δέ σφι καὶ ἡ ἄλλη Ἑλλάς.

Ad eosdem auctores, qui narraverant mediam aciem nocte stationem deseruisse atque a proelio aurora ineunte facto afuisse, ceterae quoque fabulae referendae sunt, quae a narratione Lacedaemonia recedunt: primum Athenienses solos in statione mansisse; deinde eos precibus Pausaniae agmen suum cum Lacedaemonio coniunxisse; et cum utrique simul recederent, Lacedaemonios per clivos ingressos esse timore adductos, cum ipsi fortiter in planum descendissent.

Atque hanc quidem fabulam Atheniensibus deberi alia insuper ratione comprobari potest. Neque enim dubium esse potest, quin Athenis sit effictum Mardonium Spartanis convicia fecisse, cum locum ab illis prioribus diebus occupatum vacuum vidisset; Lacedaemonios autem, ubi primum Persae invasissent, auxilium ab Atheniensibus petivisse; sed quod Athenienses non et ipsi a Persis premuntur, eo declaratur, quod per planitiem iter fecissent. — Qui eam fabulam excogitavit id consequi voluisse videtur, ut Athenienses extra culpam essent, quippe qui non ante se recepissent, quam imperio Pausaniae cogerentur. Apparere videtur, non solum Lacedaemonios sed etiam Athenienses in sua commoda vertisse, quae ab universis Graecis apud Plataeas minus bene atque decore gesta sunt; negare autem non sunt ausi ipsos quoque retro iisse.

Superest, ut ea contemplemur, quae concilium ducum et fugam sociorum praecessisse traduntur. (c. 25.) Athenis sine

dubio certior factus est de certamine inter Tegeatas atque Athenienses exorto (Λακεδαιμονίων δὲ ἀνεβόησεν ἅπαν τὸ στρατόπεδον Ἀθηναίους ἀξιονικοτέρους εἶναι ἤπερ Ἀρκάδας). Ea quoque non possunt non ad eosdem auctores referri, quae de ignavia Lacedaemoniorum ordinibusque mutatis relata sunt. Nam quod ab Herodoto narratur, verum non est, quamquam fortasse aliquid factum erat, unde fabula originem duxit (Wecklein 270); ab ea timoris suspicione Lacedaemonii sane abesse debent, qui quo animo essent, apud Thermopylas ostenderant. Cum his quae modo significavimus, artissimo vinculo reliqua coniuncta sunt, quae inde a capite 25 narrantur. Velut paullo infra audimus Mardonium promisso stetisse atque confidentius aggressum esse, quod timorem adversariorum cognovisset; et cum ille impetus aut primus aut vehementior solito fuisse videatur, intellegitur, qua de causa plurimi Graecorum, postquam per totum diem illas incursiones sustinuerunt, ineunte nocte ex acie fugerint. Sic facillime ad eam partem traducti sumus, quam Atheniensibus adscribendam esse supra effectum est.

Atque ut primam narrationis partem percenseamus, Pausaniam ob eam causam aciem mutavisse vidimus, quod ex Atheniensibus audierat, hostes postero die impetum facturos esse. Athenienses ipsos ab Alexandro certiores factos esse legimus. Ex eo autem quod Alexander consilium Mardonii ad Graecos detulit, sequi videtur, illos opinatos non fuisse, Mardonium tam celeriter proelium commissurum esse. Quod in ea narrationis parte obscurum est, praecedentibus explicatur, quibus narratur multum temporis utrosque se ab impetu abstinuisse, quod ultro lacessere victimae dissuasissent. Aliud ab alio proficisci, alterum altero postulari videmus [nonnulla inserta sunt, quae unde sumpta sint, non apparet: de Tisameno, Melampode, Hegesistrato vatibus (38 - 32), de oraculo (42—43).]

Satis mihi videor demonstravisse in pugna Plataeensi quoque enarranda Herodotum diversas narrationes ita miscuisse, ut non sublatis differentiis artissime se ad traditam

fabularum formam applicaret. Pauca admodum adiecit, ut gravissimas offensiones tolleret; velut narravit Athenienses mansisse, quod Lacedaemoniis diffiderent. Ac ne mirarentur legentes, quod proelium promissum non fieret, praecavit adhortantem faciens Alexandrum, ut manerent etiamsi Mardonius impetum non faceret, quia non multum frumenti haberet; contraria Artabanus locutus erat. In orationibus paullo solutior fuit et plurima ex ingenio suo sumpsit (Wecklein 247).*) Illud quoque ab eo effictum est praeconem Atheniensem eo momento advenisse, quo lapidem Amompharetus sustulisset. Ut accuratissimus auctorum sectator est, ita nonnumquam non dubitavit fingere, quae nulla auctoritate sustinentur. Cuius rationis exempla luculentissima proponam.

IV.

De numeris Herodoteis.

Iam diu viri docti suspicati sunt non omnia a certis auctoribus sumpta, quae Herodotus de numero navium aut copiarum tradidit, sed nonnulla ab ipso ratiocinando inventa esse, quia numerus navium Persicarum mirabiliter congruit cum eo, quem Aeschylus tradidit et qui nimium a vero abesse videtur; deinde non credibile videbatur futurum fuisse, ut ipsum numerum 380 scriptor complevisset, si singula undique contulisset. Tamen indagare non potuerunt quamrationem Herodotus inierit in computandis iis, quae singulis gentibus attribuuntur; quod cum nuper mihi contigerit, ut detegerem, non multis verbis factis significabo, quomodo ab uno numero profectus reliqua Herodotus computando invenerit.

Naves Graecae. Enumerantur eae civitates maritimae, quae in tripode Delphico inscriptae sunt additis insuper nescio qua de causa Seriphiis. Quod ad naves Graecorum attinet, Herodotus a 200 navibus Atheniensium est profectus, quas post bellum Persicum demum temporibus Cimonis compara-

*) An non existimandum potius haec e fonte Macedonico fluxisse?

verant atque usque ad aetatem Periclis possederunt; eorum temporum statum scriptor ad bellum Persicum transtulit.

Athenienses contulerunt	200
e quibus Chalcidensibus complendas dederunt (decimam partem)	20
Reliquis Graecis parem numerum complendum dedit atque Atheniensibus Herodotus	180
e quibus maioribus civitatibus dimidiam partem distribuit	90

Corinthiis 40
Aeginetis 30
Megarensibus 20.

rursus eum numerum generatim partitus est:

transfugae ab exercitu Xerxis lib. 8. c. 82	2
Ex iis, quae supersunt dimidiam partem dedit Peloponnesiis (cap. 8. 43 οἱ ἐκ Πελοποννήσου)	89

Corinthii 40 vide supr.
15 Sicyonii }
10 Epidaurii } 30
5 Troezenii }
15 + 1 Lacedaemonii } 19
3 Hermionici }

Deinceps enumerantur (8. 44) οἱ ἐκ τῆς ἔξω ἠπείρου
(Athenienses)
Megarenses 20 v. supr. }
Ambraciotae 7 (2/3) } 30 = 1/3
Leucadii 3 (1/3) }

post quos οἱ νησιῶται
Aeginetae 30 v. supr. = 1/3
(Chalcidenses)

supersunt 29 quas dispertire poterat reliquis incolis insularum; desunt tamen 12 naves, quas insulis parvulis non ausus esse videtur attribuere:

Eretrii	7	
Naxii	4	10
Cei	2	
Styrenses	2	
Cythnii	1	
Crotoniatae	1	

Conamina Steinii (ad 8. 46, 2) et Belochii (Bevölkerung der alten Welt fin.) qui lacunam 12 navium corrigendis libris explere studuerunt, computationibus nostris refelluntur.

Naves Persicae (lib. 7. c. 89) . . 1207

Phoenices (300) et Graeci (307) in Asia minore habitantes dederunt dimidiam partem.

Jones	100	
Hellespontii	100	
Aeoles	60	(2/3)
Dorienses	30	(1/3)

incolae insularum 17 quae restant. Iis qui apud Salamina in media acie fuerant locati (8.85) reliquas 600 adscripsit: Aegyptiis 200, Cypriis 150, Cilicibus 100, Caribus 70, Lyciis 50, Pamphyliis 30.

Copiae pedestres. Apud Plataeas omnino 110 milia Graecorum pugnavisse Herodotus auctor est: militibus gravis armaturae singulos velites, Spartiatis solis septenos adiunctos fuisse. Tamen scriptor, ubi summam facit, gravi armaturae 33700 + 5000 (Spartiatae) attribuit: velitibus, equibus Helotae (Spartiatarum comites 35000) excipiuntur, 34500 adscripsit, ita ut illos 800 hominibus superent. Ratio constaret, si gravi armaturae 400 plus dati essent. cf. lib. 9 c. 29 οἱ δὲ τῶν λοιπῶν Λακεδαιμονίων καὶ Ἑλλήνων ψιλοί, ὡς εἷς περὶ ἕκαστον ἐὼν ἄνδρα, πεντακόσιοι καὶ τετρακισχίλιοι καὶ τρισμύριοι ἦσαν. Inanis ea explicatio est, ad quam Stein refugit: ad 9, 29: daß dies nicht so zu verstehen sei, als ob die Zahl der Hopliten und Leichten sich genau entsprechen, geht aus der Zahl der ψιλοί hervor, welche die andern um 800 überschreitet. Nos quidem demonstrare poterimus, illam differentiam errore Herodoti

ortam esse, cum primo Mycenaeis atque Tyrinthiis non 400 sed bis 400 legionarios attribueret, qui numerus postulatur, ut summa rotundetur. — Sed ut ad propositum veniamus, nihil aliud ei traditum esse videtur, nisi Lacedaemonios 10000 milites contulisse gravis armaturae (et 40000 velites). Idem numerus datus est maioribus civitatibus societatis Peloponnesiacae.

Corinthii 5000 = $^1/_2$
Sicyonii 3000
Troezenii 1000
Phliasii 1000

Reliquis dimidia pars adscripta est.

Tegeatae 1500 qui proprium locum in societate tenuisse atque artius quam ceteri cum Spartanis coniuncti videntur. cf. 9. 31; 54; 56; 61.

3000	300	Potidaeatae, Corinthiorum coloni
	600	Orchomenii
	800	Epidaurii
	200	Lepreatae
	400	Mycenenses
	[400]	Tirynthii
	300	Hermionici

Ad numerum 5000 complendum desunt 500, de quibus quid factum sit, infra ostendetur. Ceteris sociis eundem numerum dat. (15000.)

3000	600	Eretrii et Styrenses
	400	Chalcidenses
	500	Ambraciotae
	800	Leucadii et Anactorii
	200	Palenses
	500	Aeginetae
	3000	Megarenses
	600	Plataeenses
	8000	Athenienses = $^1/_2$.

Desunt 400 et universo numero legionariorum 900 vel si

velites adduntur 1800; quos Thespiensibus scriptor reliquit, qui et ipsi armis carebant c. 30 σὺν δὲ Θεσπιέων τοῖσι παρεοῦσι ἐξεπληροῦντο αἱ ἕνδεκα μυριάδες. In universum Lacedaemonii contulerunt milites 40000; Peloponnesii fere 30000; eundem numerum ceterae gentes.

Sententiae controversae.

I. Herod. 9, 7—8. Peloponnesios anno post pugnam Salaminiam murum Isthmiacum aedificare perrexisse ab Herodoto ratiocinando inventum est.

II. A Ctesia male traditum est (Pers. 26) Xerxem iam ante pugnam navalem aggerem ad insulam promovisse.

III. Hor. carm. III. 13. 12.

vos o pueri et puellae
iam virum expertae maleominatis
parcite verbis . . . . recte traditum est.

IV. Ovid. met. I. 1.

In nova fert animus mutatas dicere formas
corpora. Di coeptis (nam vos mutastis et illas)
adspirate meis . . . cum codd. scribendum est.

editt: (nam vos mutastis) et istac. — formam mutare = ſeine Geſtalt wechſeln.

V. Πόρος Cupidinis parens apud Platonem (symp.) non Quaestus (Zeller) sed Copia est intellegenda.

VI. Demosthenis oratio Olynthiaca prima, quae fertur, ante secundam habita est.

VII. Seneca ep. 99. 10. emendandum est: ,Sed puer decessit' Nondum dico melius agi cum eo, qui ita defungitur (codd. et edd. vita): ad eum transeamus, qui consenuit. quantulo vincit infantem?

VIII Seneca ep. 124. 14. Quattuor hac naturae sunt, arboris, animalis, hominis, dei: hac duo, qua rationalia sunt (codd. et editt.: quae), eandem naturam habent. illo diversa sunt (codd.: illa), quod alterum immortale, alterum mortale est.

IX. Seneca ep. 104. 28. post finita arma triginta tyrannis noxae dedita est civitas, e quibus plerique inimici erant; novissima damnatio est subita (codd sub), gravissimis nominibus impleta: obiecta est religionum violatio.

Vita.

Rudolphus Adam natus sum die V. mens. Sept. a. 1865 Schwiebusae, in oppido Marchico, patre Julio matre Paulina e gente Kern; fidem confiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus in quartum ordinem gymnasii regii, quod Mederici a Rudolpho Marg, humanissimo viro, regebatur, receptus sum. Maturitatis testimonium adeptus vere anni 1885 Berolinum me contuli et per decies sex menses studiis philologicis atque historicis operam navavi, cum interim stipendia absolverem.

Docuerunt me viri doctissimi: Bresslau, Diels, Dilthey, Hirschfeld, Huebner, Kirchhoff, Koehler, Paulsen, de Richthofen, Vahlen, Weizsaecker †. Ad exercitationes philologicas Huebner et Vahlen, ad epigraphicas Kirchhoff, ad historicas Koehler, ad archaeologicas Robert, ad Aristotelicas Zeller benigne aditum mihi permiserunt; quibus omnibus gratias ago candidissimas.

Seminarii regii philologici, quod Kirchhoffii et Vahleni auspiciis floret, per ter sex menses sodalis fui ordinarius.

Societatis academicae philologae Berolinensis inde ab a. 1886 sodalis fui.

propiores erant, quam Corinthii atque Megarenses (Delbrueck 112. 113). — Quam ob rem cum ementita esse videantur, quae de absentia Corinthiorum ceterorumque tradita sunt, verisimillimum est ab Atheniensibus ea mendacia conficta esse, quos maxime in Corinthios maledicta congerere solitos fuisse supra ostendimus (Wecklein 270) cf. 8. 94 ubi et ipsi e pugna Salaminia fugisse dicuntur τούτους μὲν τοιαύτη φάτις ἔχει ὑπ᾽ Ἀθηναίων, οὐ μέντοι αὐτοί γε Κορίνθιοι ὁμολογέουσι ἀλλ᾽ ἐν πρώτοισί σφεας αὐτοὺς τῆς ναυμαχίης νομίζουσι γενέσθαι· μαρτυρέει δέ σφι καὶ ἡ ἄλλη Ἑλλάς.

Ad eosdem auctores, qui narraverant mediam aciem nocte stationem deseruisse atque a proelio aurora ineunte facto afuisse, ceterae quoque fabulae referendae sunt, quae a narratione Lacedaemonia recedunt: primum Athenienses solos in statione mansisse; deinde eos precibus Pausaniae agmen suum cum Lacedaemonio coniunxisse; et cum utrique simul recederent, Lacedaemonios per clivos ingressos esse timore adductos, cum ipsi fortiter in planum descendissent.

Atque hanc quidem fabulam Atheniensibus deberi alia insuper ratione comprobari potest. Neque enim dubium esse potest, quin Athenis sit effictum Mardonium Spartanis convicia fecisse, cum locum ab illis prioribus diebus occupatum vacuum vidisset; Lacedaemonios autem, ubi primum Persae invasissent, auxilium ab Atheniensibus petivisse; sed quod Athenienses non et ipsi a Persis premuntur, eo declaratur, quod per planitiem iter fecissent. — Qui eam fabulam excogitavit id consequi voluisse videtur, ut Athenienses extra culpam essent, quippe qui non ante se recepissent, quam imperio Pausaniae cogerentur. Apparere videtur, non solum Lacedaemonios sed etiam Athenienses in sua commoda vertisse, quae ab universis Graecis apud Plataeas minus bene atque decore gesta sunt; negare autem non sunt ausi ipsos quoque retro iisse.

Superest, ut ea contemplemur, quae concilium ducum et fugam sociorum praecessisse traduntur. (c. 25.) Athenis sine

dubio certior factus est de certamine inter Tegeatas atque Athenienses exorto (Λακεδαιμονίων δὲ ἀνεβόησεν ἅπαν τὸ στρατόπεδον Ἀθηναίους ἀξιονικοτέρους εἶναι ἤπερ Ἀρκάδας). Ea quoque non possunt non ad eosdem auctores referri, quae de ignavia Lacedaemoniorum ordinibusque mutatis relata sunt. Nam quod ab Herodoto narratur, verum non est, quamquam fortasse aliquid factum erat, unde fabula originem duxit (Wecklein 270): ab ea timoris suspicione Lacedaemonii sane abesse debent, qui quo animo essent, apud Thermopylas ostenderant. Cum his quae modo significavimus, artissimo vinculo reliqua coniuncta sunt, quae inde a capite 25 narrantur. Velut paullo infra audimus Mardonium promisso stetisse atque confidentius aggressum esse, quod timorem adversariorum cognovisset; et cum ille impetus aut primus aut vehementior solito fuisse videatur, intellegitur, qua de causa plurimi Graecorum, postquam per totum diem illas incursiones sustinuerunt, ineunte nocte ex acie fugerint. Sic facillime ad eam partem traducti sumus, quam Atheniensibus adscribendam esse supra effectum est.

Atque ut primam narrationis partem percenseamus, Pausaniam ob eam causam aciem mutavisse vidimus, quod ex Atheniensibus audierat, hostes postero die impetum facturos esse. Athenienses ipsos ab Alexandro certiores factos esse legimus. Ex eo autem quod Alexander consilium Mardonii ad Graecos detulit, sequi videtur, illos opinatos non fuisse, Mardonium tam celeriter proelium commissurum esse. Quod in ea narrationis parte obscurum est, praecedentibus explicatur, quibus narratur multum temporis utrosque se ab impetu abstinuisse, quod ultro lacessere victimae dissuasissent. Aliud ab alio proficisci, alterum altero postulari videmus [nonnulla inserta sunt, quae unde sumpta sint, non apparet: de Tisameno, Melampode, Hegesistrato vatibus (38 - 32), de oraculo (42—43).]

Satis mihi videor demonstravisse in pugna Plataeensi quoque enarranda Herodotum diversas narrationes ita miscuisse, ut non sublatis differentiis artissime se ad traditam

